AD ACUTAE ET CHRONICAE SPLENITIDIS IN HUMILIBUS PRAESERTIM...

Stanislao Grottanelli

All'egregio Sig.e Prof.e
e suo Collega, il Sig.r Ottaviano Targioni

Dona l' Autore

SPLENIS MORBI

AD ACUTAE, ET CHRONICAE SPLENITIDIS

IN HUMILIBUS PRAESERTIM ITALIAE LOCIS CONSIDERATAE

EIDEMQUE SUCCEDENTIUM MORBORUM

HISTORIAS

ANIMADVERSIONES

AUCTORE

STANISLAO GROTTANELLI

PHILOSOPHIAE, MEDICINAE, ET CHIRURGIAE DOCTORE,
SOCIO I. R. ACADEMIAE PHYSIOCRITIC. SENARUM ETC.

FLORENTIAE
TYPIS WILLELMI PIATTI
MDCCCXXI.

Nonnullarum regionum populi afficiuntur morbis quibusdam peculiaribus, qui aliquarum regionum populares aut raro, aut nunquam invadunt.

BAGLIVI *Praxis Medic. lib.* 1.

VIRIS · CELEBERRIMIS

PISANAE · SENENSISQUE

I. AC · REGIAE · UNIVERSITATIS

REI · MEDICAE · PROFESSORIBUS

A · QUIBUS · SALUTARIS · ARTIS · HAUSIT · PRAECEPTA

GRADUS · OBTINUIT

LECTISSIMO

ARCHIATRORUM · ALMAE · URBIS

SENATUI

A · QUO · CHIRURGIAE · LAUREA · FUIT · DONATUS

PERILLUSTRIBUS

ACADEMIARUM

PHYSICAE · MEDICINAE · ET · CHIRURGIAE

SOCIIS

QUOS · INTER · EST · COOPTATUS

HAEC

IN · MARITIMIS · HUMILIBUSQUE · ITALIAE · REGIONIBUS

OBSERVATA · ANIMADVERSA · EXARATA

STANISLAUS · GROTTANELLI

SENENSIS

IN · EXIMIOS · QUOS · AUDIVIT · PRAECEPTORES · HABET · AMICOS

GRATITUDINIS

IN · SUMMOS · SALUTARIS · ARTIS · CULTORES

VENERATIONIS

ERGA · SOCIOS · ET · COLLEGAS

IN · SUMMI · OBSEQUII

TESTIMONIUM

D. D. D.

INTRODUCTIO

Inter Medicorum libros, atque adversaria, nec non in artis medicae diariis quaestiones circa lienis historiam, atque functiones ex HYPPOCRATE hucusque exagitatae saepissime reperiuntur; nec ulla forsan est humani corporis pars, aut

viscus in cujus naturam, atque functiones investigandas tam facile deliraverint homines, cum eorum indagines effugere semper visae sint, sive in homine, sive in aliis vertebratis animalibus institutae illae fuerint.

Nil inde mirum si ad libramentum tantum corporis a natura formatum lienem dixerint aliqui: alii atraebilis sedem putaverint, et melancolici ideo humoris; aliqui e contra risus organum consideraverint: alii glandulam crediderint; alii negaverint: alii inutile, alii etiam nocivum viscus affirmaverint; atque in nonnullis interdum ipsum e canibus eradendi tantus furor enatus sit, nullo ferme physicae animalis incremento, cum sententias sententiis, factis contraria facta rependere possimus: nullo autem certe si de humana speciatim

physiologia sermo sit; cum e contra in homine maxime utile, immo necessarium repertum fuerit, et inter principalia viscera merito collocatum. Plerique tam veterum, quam recentiorum de physiologia benemerentium hominum quos inter HALLER, RICHERAND, et FODERÈ hepatis functionibus inservire dixerunt. Alius vero organum esse dixit ad id a natura destinatum ut in eo globulares sanguinis moleculae efformentur (*a*). Novissime organum esse ferme glandulare absorbenti systemati arcte conjunctum in quo ab arterioso sanguine, subrubrum, et coagulabile fluidum separatur, quod a lymphaticis vasis inde accipitur, ac in thoracico ductu, chilo ut admisceatur,

(*a*) HEWSON *Experimental* etc. P. III. Ricerche sperimentali intorno alle proprietà del sangue rosso etc.

effundunt (*a*). Moreschi autem semel, et iterum ad digestionem ciborum intra stomachum coadiuvandam lienem a natura manifeste destinatum fuisse enisus est demonstrare (*b*).

Non humeri mihi aurificis statera, nec animus populari trutina has examinandi quaestiones. Quoad me tamen quamvis huic magis assentiar, opinionibus illorum qui lienem hepati functionibus inservire dixerunt non adversor omnino; quia etsi pathologico lienis statui malas affectiones ventriculi, et in testinorum respondere constanter viderim; frequenter

(*a*) Tiedeman, e Gmelin sperienze sulle vie per le quali le sostanze introdotte nello stomaco, e nel canale intestinale passano nel sangue con osservazioni sù le funzioni della milza etc.

(*b*) Del vero, e primario uso della milza nell'uomo, ed in tutti gli animali vertebrati. Milano 1813.

De urethrae glandisque structura, et de vasorum brevium natura.

etiam in hepatitide, aliisque jecuris morbis lienem magnitudine, pondere, vel textura a naturali forma recessisse observavi: lymphaticas autem glandulas majores factas, et hujus systematis vasa, cum lien graviter aegrotat, reapse actuosiora reperisse non memini: at illas saepius, et ista per chronicas lienis affectiones morbo pariter affici vidi (*a*). Sed quid inde ad lienis functiones! auderem ne ego *argutos inter strepere anser olores?* Minime. Liceat potius mihi iis quae de lienis morbis dicta sunt adhuc aliquid addere modo, et cum pauci meliorum magistrorum artis vix de splenitide verba fecerint de acutis, chronicisque lienis inflammationibus, deque variis hujus morbi phasi-

(*a*) Deficiente liene glandulas lymphaticas augescere, et actuosiores fieri affirmant TIEDEMAN, et GMELIN l. c.

bus, progressibus, metamorphosibus, concomitantiis historias proferre.

Praeter id quod natura unicuique hominum dedit velle (*a*), duplex accessit ratio cur huic rei operam dederim: desiderium nempe *Georgii* BAGLIVI medicos quoslibet temperiem incolarum suae regionis, morbos illius endemicos, methodumque medendi eisdem accomodatam potissimum describere hortantis (*b*): vota deinde *Philippi* PINEL ut a medico cui et investigandi sit voluptas, locorumque arrideat positio illa in medicina, si fieri potest, expleatur lacuna quae in acutis, et chronicis splenis inflammationibus adhuc restat (*c*): id quod

(*a*) *Impellimur natura ut prodesse velimus quamplurimis..... in primisque rationibus tradendis...* CICERO de finibus lib. 3. cap. 8.

(*b*) Lib. II. cap. VII.

(*c*) Nosographie philosophique Class. II. Ord. IV.

nisi quadam congerie multarum observationum et ipse fieri non posse existimabat. Quare factum est ut numerus historiarum quem mihi proposueram interdum excederet, et virorum de arte, et humanitate benemerentium novissimas observationes notaverim, hasque haud ingratas, speraverim fore lectoribus.

Eo autem sategi distribuere ordine aegrotantium historias, ut tam in acutis, quam in chronicis splenis inflammationibus a simplicibus ad magis graves, et complicatas ascenderemus, et ex consideratione resolutionis duntaxat, vel mortis perpenderemus inde quomodo splenitis a priori deflectens forma alias longe diversas, incertique exitus assumat; qua denique ratione tam varios postea morbos inducat, exasperet, et incurabiles

reddat, qui sua natura mites forsan fuissent.

Patiare interim, Lector, eum, qui a prima juventute clinica devenit in medium morborum omnium discrimen, et per multos annos maritimas inter Hetruriae, et Status Ecclesiastici regiones medici practici munus exercuit, his proximas peragravit, lustravit nosocomia, per oppida et arva ad aegrotantes est ingressus, Medicos locorum adivit, perarduum opus aggredi non dubitasse; nil quidem propriis fidens viribus, sed ea spe potius illectus, fore nimirum, ut quamvis tentamen hoc votis pubblicis respondere fortasse nequeat, in aliis post se venientibus animum accenderet, ut ipsi inde huic medicae artis desiderio melius explere valeant. Quare non existimo Te putare id mihi suscipiendum non fuisse.

Observata in primis scripseram, deinde animadversiones addidi, quas ideo *Mantissas* vocavi, et quae videbantur scientiae, et rationi consona ad scribendum veni, pro exiguo illo tempore ab omni cura vacuo, quod mihi tribuit asperitas officii mei, et publicae salutis momentum. Non haec enim spe quaestus, aut gloria commotus, neque ostentandi ingenii gratia in medium produxi; tantum ut prodesse pluribus possim; iis praecipue hominibus quorum benevolentiae erga me sempiterna erit memoria, quibusque grato, pariterque benevolenti, animo conjunctum me arbritor, nec meliori forsan modo gratiam referre valeo.

Dabam Petiliani pridie Kal. Julii
Anno MDCCCXXI.

AD

ACUTAE, ET CHRONICAE

SPLENITIDIS

IN HUMILIBUS PRAESERTIM ITALIAE LOCIS CONSIDERATAE, EIDEMQUE SUCCEDENTIUM MORBORUM

HISTORIAS

ANIMADVERSIONES.

§. 1. Quamvis lienis inflammationem, quam splenitidem dicimus, nemo inficias iverit post Hyppocratis, Tralliani, et Foresti tractatus, nostra tamen ad usque tempora valde raram unanimiter affirmarunt practici. Hujus vero morbi ideam, vel existentiam audivere certe ab aliis, vel dubia saltem excepere mente ii, qui ut concinnatam nosologiam medicorum sub oculis exponerent, splenitidem posuerunt in serie, ipsam minime describentes. Multi illam silentio praeteriere: difficilem tandem cognitu morbum, carentemque adhuc symptomatibus firmissimi characteris non defuit qui pronunciaret.

§. 2. Harum opinionum causa non una quidem, sed plures fuisse videntur; et quoniam morborum omnium naturam, vel frequentiam ubique locorum easdem esse, aut extitisse minime censendum est aëris, aquarum, consuetudinumque gratia, vel propter defectum cujusdam opportunitatis in homine, aut in aliqua ipsius corporis parte, vel viscere, sine qua opportunitate morbi nulli exoriuntur: ita apparet nonnullarum regionum scriptores raro, aut nunquam splenitidem reapse conspexisse; eo nempe modo quo multi, optimo sub coelo hominibus medentes, perniciosas febres praeterquam in libris non cognoverunt. Suspicare deinde licet aliquibus in locis, atque temporibus sub splenalgiae tantum specie consideratas fuisse; acutas vero quasi pleuritides curatas, et cum ab istis aliquando non ita facile distinqui queant, pro talibus saepe dijudicatas (*a*).

§. 3. Pro aëris denique aquarumque conditionibus quam raram splenitidem concedam esse in multis etiam Italiae nostrae locis, illis praesertim inhaerens auctoribus, qui dixerunt apud se vel canos medicos peripneumoniam, hepatitidem, aliorumque viscerum phlegmasias maxime paucas posse narrare (*b*). Ab Epecio tamen ad Apuliam, et magnam Neapolitani regni partem lienoses multos esse certe mihi constitit, praesertim

(*a*) De Haen apud Van-Swieten in Boerhaave ad §. 958.

(*b*) Postiglione. Esposizione della teoria del controstimolo premessa alla materia medica vegetabile, ed animale.

vero Plumbinum inter et Ansur; et qua medici functus sum munere, ut supra dictos morbos non infrequentes, sic splenitidem non raram quidem, sed endemicam potius cognovi.

§. 4. Hunc igitur lienis morbum illustrare, deque versatili ejusdem cursu, variisque effectibus, ac fine amicos, et collegas meos certiores facere potius, quam de illius existentia diatribam modo instituere cupiens, ex simpliciori specie illius naturam pandam.

ARTICULUS I.

SIMPLICIS SPLENITIDIS HISTORIAE.

Historia I.

§. 5. Blasius *Pascalini* Petilianensis, temperamento sanguineus, pistoris filius, septimo vitae suae anno pleuritidem passus est, et hic morbus septem circiter dierum spatio judicatus fuit. Dum adolesceret, ejus vitae consuetudo fuit quotidie ferme, repetitis vicibus, sylvam petere ligna parentibus comparaturus: quoad victum vero, erat ipse multi cibi, vinique. Is quintodecimo aetatis suae anno, mense novembri, cum nix proximos teneret montes, post triduum ex quo capitis dolore laborare coeperat, e sylva revertens febri corripitur maximo membrorum frigore. Gravior hinc capitis dolor; sed et splen, ubi a nonnullis diebus, praecipue cum mane surgeret, molestum

quid sentiebat, multum doluit. Nil comedit in die, sed carnium quoque, propter nauseam, recusavit jus. Sitis permulta: tussis sicca, rara primum, dein frequens, et molesta; ea enim exsurgente acuto lateris, et scapulae sinistrae dolore premi, et dolentem lienem magis sibi intumescere queri, gibbumque illius adsidentibus ostendere solebat. Collega meus phlebotomiae necessitatem intelligens venam secuit, et sanguis ad unciarum decem pondus extractus tenui crusta tectus fuit. Cephalgia tunc cessit, splenis autem dolor stetit. Non dormivit. Altera die rhabarbaro purgatus est. Ea quoque nullo usus est cibo; et per ipsam, ac totum morbi cursum aquam frigidam semper potavit. Tertia laborantem febri illum vidi: facies satis ignita erat: lingua alba crusta obducta, praeterquam in apice: cutis arida, et urens: spiritus difficilis: pulsus frequens, duriusculus: lotium rubrum absque subsidentia: vomendi nisus aderant, et sitis semper molesta: caetera jam notavi. Nox sine quiete fuit. Quarta mane lotium multum, crassumque conspexi, quod paulo post multa cum subsidentia apparuit. Aquam, in qua soluta fuerat acidi tartarosi dosis, aegroto exhibui. Pars dolens, saepe per diem fota, minori pressa fuit molestia: nox haud multum quieta. Per illam tamen, et sequentem diem febris mitior fuit: multumque minxit gravissimi lotii. Satis dormivit. Sexta die, cum aegrotus inspiraret, lien non exurgebat amplius in gibbum. Septem dierum spatio febri, et locali inflammatione libera-

tus est. Statim ac febris cessit lotium naturale fuit, et appetere cibos potuit.

Historia II.

§. 6. Aloysius *Cresti* viginti circiter annorum adolescens, patria Amiatensis, sed a puero Petiliani incola, conditione caementarius, temperamento sanguineus, die vigesima maji Suana revertens, quo se contulerat diei festi causa, ebrium comitem, caritate compulsus, humeris suscepit, et per tria circiter millia passuum inviae penè viae grave onus tulit. Hinc sudor, et totius inde corporis refrigeratio. Tertia die ab improbo labore (qua imber cecidit, et aër frigefacta erat) circa noctis medium peracuto dolore sinistro sub hypocondrio corripitur, qui paulatim stomachi, et jecuris regionem occupavit; frebrisque ei comes advenit. Sequenti mane dolor ita efferatur, ut spasmodica efficeretur omnis abdominis regio, et hujus parietes thoracis duritiem mentirentur. Sic neque se extendere aegrotans, neque stare, neque jacere poterat. Pallidum erat os: pulsus frequens, aliquanto durus: aestuabat: ardebat siti. Ad dosim unciarum octo sanguis detrahitur, qui statim alba pellicula obducitur. Enematibus alvus copiose defoecatur: pars dolens fovetur. Dolor, qui tantisper cessaverat in die, sub noctem recruduit: non dormivit, et ante ortum solis secunda rediit febris. Hujus diei mane porraceas materias abunde vomuit. A vomitu, et a fomentis soluta

fuit abdominis tensio, et digito cognoscere licuit lienem intumuisse, et ibidem inesse dolorem. Adfuit tussis sicca, frequens, molesta: lotium ruberrimum: cibi fastidium: anxietas: insomnium. Tertia die febris eadem hora aegrum invasit. Acutus dolor subter sinistrum hypocondrium, praesertim in profundis inspirationibus, et omnia alia ferme symptomata stabant. Iteratur ideo phlebotomia dosi unciarum qninque; neutrum tamen in latus inde jacere potuit. Sub noctem mitissima febris: sudor multus: dormitatio. Quarta die lingua crusta valde crassa, et subnigra obducta apparuit: aderant insuper vagi dolores in coli regione: gustare non poterat. Aegroto igitur pilulas ex carbonato potassae, et guttae cambogiae deglutiendas tradidi. Bis alvum exoneravit in die, et duos reddidit vermes. Parum quietis in nocte. Quinta die supine semper jacebat, et lingua eadem crusta obducta erat: sitis minus molesta: non ita fuit dolor sub sinistro hypocondrio. Epispasticum emplastrum lienis regioni applicatur. Noctem satis dormivit: multum minxit: sudavit. Sexta die profundae inspirationes non amplius molestae: alvum exoneravit saepe: urina abundans fuit, et crassa: febris mitior: dormivit. Vermes quatuor rejecit ante febris reditum. Septima die iteratur pilularum dosis; mitissima fuit febris: gustare aliquantulum potuit, et in latere dolenti cubare, ni tussis excitaretur. Optime quievit. Octava, lien sub hypocondrio ferme se reduxerat, nec dolebat praeterquam in rudi contactu,

vel in tussis accessibus: lingua adhuc lurida, et os male sapidum: comedebat tamen. Nona febris pariter mitissima, et ultima fuit: valde minxit in die, atque sudavit. Vinum in crastina sorbendum modicum dedi. Cum lien tamen aliquantulum tumesceret, interdum etiam doleret, post secundum septemnarium tartarisatam ferri tincturam sumere ad multos dies eidem persuasi, et pristinam adeptus est sanitatem.

Historia III.

§. 7. Vigintinovem annorum uxoratus juvenis, Joannes Baptista P...., e Petiliano, temperamento sanguineus, alias febribus intermittentibus divexatus fuerat, ex quo praesertim, temporum iniquitate, coactus est commodam vitam cum laboriosa commutare, victuque carere bono, quo a pueritia assueverat. Aequo ista animo pati paucorum est. Unum dicam, ipsum aegrum de mutata valetudine agros accusasse male sanos, quibus colendis operam impenderat.

Is igitur anno hyeme, et alluvionibus nimium memorabili (1820) nullo praecedente, aut saltem ipsi nobisque ignoto, lienis vitio, postquam pluvioso sub coelo longo itinere Petilianum petiit ultima bacchanalium die, circa ortum primi solis Quadragesimae febri corripitur. Hanc artuum, capitis, et sinistri hypocondrii dolores comitantur: dein succedit sitis effera: ad vesperam tussicula; hinc nox inquieta. Altera die lien, in quo dolor

vehemens, et acutus exortus fuerat, valde tumens efficitur: dolor inde minus acutus, sed praegravans: febris eadem hora rediit, frigore pariter stipata, et siti quam pridie molestiori. Frigidam potavit saepius; quia non aliud gustare poterat: dextrorsum si jacere tentasset, talem dolorem pati affirmabat ac si aliquid sibi e sinistro hypocondrio evelleretur, statimque prae angustia supine iterum vertebat membra: rubrum minxit lotium. Nox primae similis. Consueta hora tertiam febrem frigus invexit, et in ejusdem declinatione ecchymoses peticularum ad instar in humeris, et pectore apparuerunt una cum universali sudore. Rubrum, et turbatum lotium minxit per diem: caetera ut in hesterna. Quarta die febris ingressum vix sensit aeger; ad ipsum vero, de peticularum ortu maxime contristatum, advocor. Aspectus ejus terreus: os amarum: lingua arida: cutis calida, mollis: peticulae rarae, latae, et rubrae: pulsus frequens, vixque durus: lien per quatuor digitos, transversos hypocondrium sinistrum superabat, duosque tantum digitos distabat ab umbilico: dolebat valde viscus; gravior vero dolor insidebat prope lumborum regionem. Alvus adstricta relaxatur enemate. Nox minus molesta. Quinta die febris magno cum frigore accessit, lienisque in eo recruduit dolor; Lien inde fotus fuit emplastro matricariae, magno cum aegrotantis levamine. Hac die, sexta pariter, et septima, pilulas quatuor rhabarbari et extracti eupatorii deglutivit, et aquam cum tartrato po-

tassae sorbuit. Multam minxit in die urinam rubram, atque turbatam, nulla adhuc in imo vasis depositione. Pulsus valde frequens, et aliquando discrotus erat. Per noctem tres circiter uncias sanguinis amisit e dextera nare. Mane sextae diei foeces copiosas, subnigras, et figuratas per alvum egessit. Nulla amplius febris: sitis minor fuit in hac die: cephalgia nulla: gustare potuit. Lotium manavit abundans alba et gravi cum subsidentia; quod autem sedimento supererat clarum non evadebat. Lien, identidem fotus minus durus apparuit, et solum dum contrectaretur dolebat. Somnum coepit per noctem: vix tussivit. Septima die lectum deseruit aeger ad multas horas, et dum comederet modicum vinum sorbuit. Urina breviori tempore majorem subsidentiam albam dedit, quam pridie. Eodem more processit dies octava. Pilulas tunc gummi ammoniaci (*) pro antea exhibitis, usque ad duodecimam praebui diem. Peticulae, interim decolores factae, nona die omnino evanuerunt. Terreus faciei color paulatim abivit ab hominis vultu. Decima quarta die lien subter hypocondrium se reduxerat, neque

(*) *Harum haec est compositio.*
℞ Gummi ammoniaci
Assae foetidae
Saponis veneti ana drach. ij.
Extractum graminis drach. jv.
Tartratis potassae stibiati in aqua soluti gr. xvj. ms.
Fiant pil. septem. granor.
Dosis a ij ad vj in die.

dolebat, nisi graviter premeretur versus hypocondrium dexterum. Deambulavit interim aeger, et bene se habuit. Decima septima die lotium quod hucusque grave semper fuerat naturalem servavit characterem. Inde aeger sanatus est.

Mantissa.

§. 8. Cum primas in serie has historias locavi ratus sum ex nullis aliis veriorem, aut clariorem simplicis splenitidis ideam tum trahere ipsemet mihi, tum aliis exhibere me potuisse. In his enim morbi cursum, inflammationem visceris cum febre symptomatica, ideoque ejusdem moris ac localem affectionem nancisci licet, absque ullo erroris dubio circa inflammationis sedem; praesentis insuper cognoscere auxilii effecta, nec non salutaris crisis a natura paratae, ut morbi resolutio fieret.

Si facile enim decipi possumus cum ex sola inductione, sive per analogiam de localium morborum sede conjecturam facere cogimur, ut in inflammationibus pleurae, aut pulmonis, partis gibbae hepatis, ipsiusque lienis; cum haec duo viscera tumorem praebent jatris manibus dolentem, atque in inspiratione supereminentem caeteris abdominis partibus, ut fit cum illorum inferior pars phlegmasia tenetur, de morbi sede adhuc dubitare, idem esset ac sole meridiano lucem quaerere. Cum autem tumor, dolorque fixus hujus visceris nullo alio praecedatur, aut conso-

cietur morbo, et in febris inflammatoria natura detegenda labore minime opus sit, nec ipsa localis affectio symptomatica, vel sympatica, credi possit; immo viscus paulo post febrem suum recuperarit modum, quid amplius ad claram excipiendam ideam simplicis, et acutae splenitidis resolutione peractae requiritur?

§. 9. Posset nunc quis regerere ad rectiorem, omnibusque numeris absolutam splenitidis formam obtinendam desiderari vomitum cruentum, aut subcruentum, et sinistri cruris dolorem, stuporemve, atque etiam lipothymiam (*a*). His primum certe respondeam cum has in chartas conjieci historias observata tantum edere voluisse, non ficta; dein fatebor haematemesim aliquando in homine qui durissimo lienis tumore laborabat, veluti Morgagni, aliique viderunt, memetipsum notasse, et in aliis sinistri cruris dolorem, atque lipothymiam.

At haematemesis vel meloena non mihi videntur simplicis splenitidis propria, etsi aliquando hujus morbi decursu alterutra observata fuerit affectio. Hujus phaenomeni causa repetenda est, ut reor, a sanguinis crasi, vel a vasorum brevium pathologica conditione non illico exorta, sed jamdiu etiam existente, ut Valverde vidit in cadavere cardinalis Cibo, aliique reperere (*b*). Hinc quam-

(*a*) Marcus. *Osservazioni su la splenitide.* Vide in diario Omodei Fasc. I. Medicina straniera.

(*b*) Lib. VI. cap. V. Et Morgagni Epist. 34. art. 42.

vis frequens sit in splenitide ventriculi symptomatica inflammatio, quo fuerit minor stomachi vitiata natura, eo rarius aderit symptoma vomitus cruenti; et quem ipsemet alias notavi in saevissimae splenitidis statu, vomitum cruentum, non fuit symptoma pathognomonicum, sed gravissimi morbi salutaris crisis; et criticum reapse existimat esse illum vomitum, quem subnigrum appellat *Robertus* Thomas (*a*); ac talem reputare debebimus, dummodo non excedat modum, propter consensum magnum vasorum lienis cum illis ventriculi a Moreschio in homine demonstratum (*b*).

§. 10. Possunt revera haematemesis atque meloena ortum ducere ex morbosa viscerum imi ventris affectione, et ex tumore lienem, aut jecur comprimente (*c*): sed hoc aliud est; sicut aliud indicat dolor sinistri cruris, qui splenitidi comes eat; inflammationem nempe non solum partis inferioris, et posterioris lienis, sed existentiam etiam nephritidis, aut psoitidis symptomaticam, vel concomitantem. Addam denique me non unum fuisse, qui haec duo in splenitide quam raro observaverim, sed Hyppocratem, Trallianum, et multos alios veterum de his nunquam verba fecisse: et alii quoque minus antiqui medici practici, ut Ab-altomari, Van-swieten, Sauvages, Vogel, Alibert, ea non memorant. Liceat ergo, nonnul-

(*a*) Nuovo trattato di medicina pratica T. I. Parte II.
(*b*) Opera cit. a pag. 47-61.
(*c*) Spedalieri Medicinae praxis. Class. I. ord. VI. cap. X.

lorum bona cum venia, concludere vomitum cruentum, et sinistri cruris dolorem tamquam lineamenta ad ordinariam splenitidis formam repraesentandam minime pertinere.

Restat quod esse possit lipothymia; sed circa hoc symptoma ipsamet affertur ratio, defectus nempe gravissimi hujus animi deliquii in plerisque hac inflammatione laborantibus; et cum illud vidisse contigit, non symptoma morbi arbitratus sum, sed symptoma alius symptomatis, gravissimae idest stomachi affectionis: quod revera nec in primordiis morbi accidit videre, nec nisi in concomitantia gastritidis, quae lipothymiam facile inducit, aliorumve tubi intestinalis morborum observatur. Verum est autem quod Marcus notavit (*a*), scilicet ab illa tunc splenitícos tantum corripi cum surgere, vel lecto insidere conantur (vide hist. seq. n.° IV.).

Quoniam autem ex mechanica ventriculi pressione alias lipothymia observata fuit (*b*), et ipse quoque vidi, non negamus magnificatum lienem parietes stomachi graviter prementem huic locum dare posse, praesertim in languidis; hoc tamen a splenitide unice pendere minime putandum.

§. 11. Nostris interim aegrotis (§. 5. 6.) contulit sane venae-sectio ut vim febris retunderet, et sanguinis affluxum minueret, quod ex effectibus satis cognoscitur; sed ideo contulit, quia ita

(*a*) Loc. cit.
(*b*) Medicorum Silesiacorum satyrae: specimen IV.

facta, ut vires naturae minime labefactaret, resolutionemque non impediret, sed faciliorem redderet moderata vasorum depletione, quam propriis nisibus in altera (§. 7.) natura produxit; quodque etiam fusius infra videre licebit.

Phlebotomiam igitur in qualibet splenitide ferme semper instituere oportet, quandoque iterare (*a*). Forestus in plerisque lienis morbis, etsi inflammatio manifesta non esset, venam, lienarem dictam, manus sinistrae, vel brachi ejusdem partis secabat: ex obstructione enim vasorum, et induratione visceris splenitidem derivare existimabat (*b*). Criterium vero hujus praxis a causis morbi, ab individuali constitutione, a contingenti pletora, a dolore gravi pulsativo et fixo, et ab ipsius febris natura desumendum est. Iterandae autem venaesectionis ab iisdem non solum, sed etiam a sanguinis crasi, a ventris profluviis, et epistaxi: quae duo inter caetera contra suadent, si tales fuerint, ut virium ruinam afferre possint.

§. 12. Profuit eodem modo purgatio, quam cum utilem repererim in plerisque lienis morbis, sic necessariam semper ratus sum in splenitide; quantitatem namque subducit materiae, quae ex intestinis, et stomacho educta, velut in pluribus aliis phlegmasiis, in hepatitide quoque, et splenitide magnam submovet stimuli copiam, quae quasi

(*a*) Vide sequentes historias.
(*b*) Lib. XX. observationum, et scholia.

pabulum igni horum adauget viscerum inflammationem, nec raro inde alios morbos inducit.

§. 13. Putabant veteres intestinorum via naturam morbi hujus crisim conficere, ideoque jussere lienis superflua egerere purgantibus, dixeruntque per renes hujus visceris evacuactioni nullam patere viam. At cum longa ex observatione mihi constaverit urinas, quae meraces per morbi decursum apparent, absque nubecula scilicet, et absque subsidentia alba pessimum dedisse praesagium, sive mors ultimum morbi fuerit, sive abscessus visceris, durities, aut hydrops splenitidem subsecuti sint: quomodo narratis in casibus, sic in aliis lienis inflammationibus crisim per urinam tutiorem prae caeteris existimavi. Urinae mutationes adjiciam constanter subsequi phases aegrotantis lienis acuta vel instet inflammatio, vel chronica jam facta fuerit affectio. Veritatem hanc meis, aliorumque firmabo observationibus, et ab ea quaedam lux quin manare possit non dubito ad rectam prognosim in ipsis quoque morborum complicationibus instituendam, curationemque in quibuslibet morbi phasibus, atque progressionibus ad majorem aegrotantium frugem dirigendam.

§. 14. Contigit autem saepius quam quis judicet inflammationem lienis cum frequenter hepatidis, tum aliorum morborum comitari gressus; vel splenitide in homine jam excitata, cursumque peragente alium morbum huic se adjungere, mutuamque inter se vim exercere. Matulas tamen

semper consulere oportet: raro fallunt signa quae eruuntur ex illis, cum viscera imi ventris, et lien praecipue aegrotat; et qui de his signis longam adversum empiricos, et male expertos, nimiumque iisdem fidentes medicos diatribam instituit (a), non solum non contemnenda signa esse dixit in lienis morbis, sed ipsemet ex urinae qualitate lienis obstructiones deprehendisse affirmat; docuitque illas, quae noctu redduntur, eas esse quae, non tantum ex vario colore et quantitate, quam ex subsidentiis contentis, aliisque, quae urinae innatare solent, medico exhibere possunt praenoscendi signa, sive instet resolutio, aut mors, sive etiam morbus in longam commutetur affectionem.

ARTICULUS II.

SPLENITIDIS CUM PROXIMORUM VISCERUM PHLEGMASIA HISTORIAE.

Historia IV.

§. 15. Hetrusco sub coelo, optima terrae plaga, Casentinum vocant, natus Vincentius *Botti*, athletica constitutione, temperamento sanguineo-bilioso praeditus, et hucusque infirmitatem nesciens corporis, trigesimo quinto aetatis anno Petilianum migravit. Ignaviam perosus modo oves

(a) Forestus in fine T. IV.

huc illac tondere, modo aliis operibus in agris vacare illi in deliciis; vino non semper indulgere: interdum abuti.

Pletorae multa jam praebuerat indicia cum labente decimo octavo sui novi incolatus mense (autumnus erat, et valde calidus) morbo corripitur. Prima dies, sub vespere febris accessit leni stipata frigore, et dolore in cristis ossis ilei. Experrectus, postquam paulisper somno indulserat, utrumque hyocondrium, et crura acriter sibi dolere inclamavit, nec inde nisi recedente febri quieti locus. Secunda die, domum egressus ut rusticis daret operam, ab altera febri in lectum reducitur. Vehementiores tunc dolores designatis locis adfuere, ita ut neutrum in latus cubare diu posset, aut supine jacere. Sitis permagna erat, cephalgia quoque. Nocte amara superne egessit. Tunc dolor ex ileis superiorem trunci partem petivit: hinc insomnium. Tertiae diei mane, tart. emet. gr. iij cum deglutisset aeger ad propulsandos frequentes vomendi conatus, multa superne, inferiusque egessit, nullo ventris capitisve levamine. Sitis eadem: labia arida: cibi fastidium. Febris accessum non cognovit aegrotus, et cum semper refrigeratas haberet plantas pedum, si illas adsidentes fovere tentassent, statim vultus ardebat. Per noctem nulla quies. Quarta mane reperi hominem tactum non ferentem in sinistro hypocondrio, totumque ferme illius ventrem tumescere; cutem aridam esse, urentem; contractum, et infrequentem pulsum. A detra-

ctione sanguinis, pondere unciarum quatuordecim, capitis, et abdominis dolores paulisper imminuere: inde rursus jactatio: frequens e cubile descensus, et dum staret lipothymia, sudoresque frigidi. Lecto repositus, profundior in sinistra abdominis parte dolor, et ad omoplatam sinistram extensus dum eructaret, vel tussiret. Tussis autem erat sicca, talisque ad ultimum morbi perseveravit. Corpus frigidum: vultus inflammatus: pulsus contractus, et infrequens: urina rubra, et rara. Sanguis iterum educitur e brachio. Frigida potabatur acqua, nulloque utebatur cibo: clystere alvum exoneravit. Satis quietis per noctem. Quinta die, dextera abdominis regio tactum ferebat, in sinistra autem splen sursum elevatus, et durus conspiciebatur, et tactum impatiens qualibet ex parte. Olei amigdalarum uncias quatuor sorbuit, inde inferius liquidas egessit. Noctem dormivit. Sexta die, ingratus oris sapor, et molestior sitis; salis anglici dimidium unciae deglutivit ideo, et biliosas egessit. Sub meridie febris rediit cum frigore: pulsus valde frequens: ructus frequentes: iterum cephalgia: jactatio, et acerbissimus in liene dolor. Sub vespere dolor recruduit: singultus inde, et nasi pruritus. Non minxit per diem. Media nocte rursus vena secatur, et guttas decem aquae coobatae lauri cerasi in aquae frigidae cyathum potavit. Reliquum noctis satis quievit. Lotium minxit cum nubecula, quae in eo ad decimam quartam usque adfuit semper. Septima die febris absque frigore: pulsus fre-

quens, et discrotus: nox inquieta: vaniloquium. Octava mane multum minxit, et adsellavit. Febrium ex paroxysmis naturam periodicae febris intermittentis ratus quis detegere in illis, china unciae unius dosi exhibita fuit aegroto ante novae febris reditum. En effectus. Ea redeunte, citius, et sine frigore, gravis accessit cephalgia: stomachi ardor: lingua aspera: sitis inextinguibilis: ructus, flatusque crepuli: venter tumens, et dolens, velut in peritonitide observatur. Sero cremoris tartari unicae dimidium aqua solutum sorbuit. In alvi egestionibus lumbricum reddidit: venter minus doluit: somnum, quamvis interruptum, obtinuit. Nona die febris convulsionibus comitatur: pulsus frequens erat, et discrotus: ad vesperam sanguis e sinistra nare erumpit. Post levem hanc haemorrhagiam cephalgia cessit, statimque aeger cibo animali uti potuit, a quo prohibitus fuerat non solum propter dyspepsiam, sed etiem ob insignem in naribus virosam molestiam. Hanc inter, et decimam quartam diem omnino venter detumuit; non ita vero detumuit splen, in cujus superiori facie tactum adhuc minime ferebat, praesertim circa costas, et renem. Decima quarta, lingua crusta nigricanti obducta erat: febris, et motus arteriarum inconditus. Ex hac die ad ultimum morbi urina turbata, et multo cum sedimento semper fuit. Post decimam quintam adfuere modici sudores nocturni, ventris egestiones regulares, et identidem acervatae. Febris quotidiana manifesta remissione, et interdum horri-

pilationibus stypata, adfuit. Exacerbatus inde cum fuisset morbus a nimia ciborum ingestione, vigesima die purgare necesse fuit aegrotum sulphato magnesiae: hinc biliosas ex alvo rejecit. Vigesima secunda denuo dolor in sinistro inguine rediit, per costas spurias ejusdem lateris levam thoracis partem sursum petens; qui tenui diaeta, et cataplasmate matricariae post nonnullas horas dissipatus est. Major inde urinae copia, et lotium crassius. Vigesima octava die apirecticus omnino fuit. Intermittenti erratica inde laboravit ad quadragesimam. Tunc urinam sani hominis more minxit, et post decem circiter hebdomadas lienem naturale volumen parum excedentem reperi, minimeque dolentem.

§. 16. Sciendum interim hominem praecedenti vere ejusdem anni 1819 gravi capitis dolore obnoxium fuisse, vultum ejus, oculosque micantes rubore saepe me conspexisse; eidem vertigine, et cataphora olim correpto cum multo cutis calore, vasorumque repletione medelam, me adhibuisse, et paulo post, casu obviam factum prope Amiatam montem, de oculorum obtenebratione, dum oves tonderet, etiam conquerentem audivisse; unde liceat rite de ejusdem diathesi judicium ferre. Perpendere insuper fas erit in hujus morbi cursu quod aegrotus, potentiarum stimulos subtrahentium ministerio ex hypersthenia ad pristinum forsan stheniae statum reductus, per corticis deinde usum ad altiorem diathesis gradum assurgere potuerit, ut per opium, et in diaeta

forsan erratum alias contigit videre amico meo U. CARTONI (*); neque aequilibrio redonatus fue-

(*) *Storia di splenitide congiunta all' infiammazione del ventricolo ed intestini.*

Maestro Giovanni N...... della diocesi di Trento, dell'età di circa quarantaotto anni di forte temperamento, e negoziante di utensili di rame da cucina, fu negl'ultimi di Agosto dell'anno scorso 1819, in tempo che egli per affari di commercio si tratteneva all'Abbadia S. Salvatore, attaccato improvisamente da dolori intestinali, che il medesimo suppose essere un principio di colica, a cui era andato altre volte soggetto. Accordando ad esso i dolori una qualche tregua amò portarsi a *S. Fiora* onde sottoporsi alla mia medica direzione.

Chiamato al suo albergo nella mattina dopo il di lui arrivo (terzo giorno del male) potei riscontrare dei dolori vaghi, ricorrenti, ed interessanti il tubo intestinale; lieve tumescenza abdominale, ostinata vigilia, marcata depravazione nelle funzioni della digestione, e lingua vestita di patina bianca; ma specialmente potei riscontrare un dolore fisso, costante, ma ottuso nel sinistro ipocondrio, sul quale portata la mano, comprendo, che la milza è la sede del dolore; e trovo essere accresciuta di volume, e di durezza. Il ventricolo dolente anch'esso al tatto, mi fa sospettare essere egli molto disposto ad un peculiare grado di eretismo, mentre trovo egualmente dolenti, e sensibili l' intestina. I polsi erano alquanto duri, ed un poco frequenti; non libera affatto la respirazione.

L' esistenza di gastricismo mi determinò all' uso di purgativi blandi, scelti da quella classe atta a reprimere l' universale soverchio eccitamento. Una decozione di tamarindi, e cremor di tartaro bastò per procurare ad esso utili evacuazioni di materie sottili assai fetenti. La vigilia persistè anche nella quarta notte malgrado l' uso della pasta di cinoglossa.

rit nisi postquam cremoris tartari sorbuerit dosim, et sanguis e naribus fluxerit, quomodo al-

Passò però plausibilmente il 5.° il 6.° ed il 7.° giorno, nell' intermezzo dei quali fu repetuta presso a poco l' indicata medicatura. Tutto prometteva una felice risoluzione; ma sul finire dell' ottavo giorno si suscitò una febbre con calore grande, molta sete, ansietà, ed aumento considerevole di dolori abdominali, specialmente determinati alla regione della milza; propensione al vomito, talvolta il singhiozzo, ed inquietezza somma. I polsi si fecero duri, vibrati, e frequentissimi. Feci subito ad esso una larga emissione di sangue, che comparì assai animalizzato, e cotennoso, prescrissi due clisteri ammollienti; anodine fomentazioni; bibite refrigeranti; dieta tenue e semplice. I polsi divennero più molli, e meno frequenti più sopportabili i dolori, più trattabile il basso ventre, ed una dolce calma ristorò il paziente nella notte successiva Tutto progredì nel decimo giorno con soddisfazione del medico e del malato. Nell' undecimo giorno comparvero segni di nuovo attacco inflammatorio determinato più distintamente alla milza. Mi risolvei per la seconda emissione di sangue che fu in esso discretamente eseguita senza abbandonare l' uso dei sunominati rimedj. Tutto riprese in seguito un tuono più moderato, e la febbre nel decimo terzo giorno si sciolse felicemente dietro abondanti evacuazioni orinose, e piene di laterizio sedimento, accompagnate da scariche fecali fluide, e sommamente alcalizzate. Presto ritornò nel primiero stato di salute l' afflitto paziente, e fu in grado nel 18.° giorno di riprendere i suoi giri di commercio. Fu però indi dallo stesso, a mio consiglio, intrapresa una cura atta a sciogliere gli infarcimenti abdominali, segnatamente quelli della milza, rimasta fino a quel momento dura, e dolente: infarcimenti, che riconoscevano l' origine dall' epoca, in cui fu ripetute volte attaccato da periodiche febbri guadagnate negli anni ante-

teri per largam sanguinis emissionem salus restituta.

Historia V.

§. 17. Rosa *Drovandini*, patria Petilianensis, temperamento sanguinea, aetate annorum trigintaquatuor, et jam quinque filiorum mater, lanii minime divitis uxor, et pro conditione vitam agens, ultimis diebus mensis decembris anni octingentesimi, vigesimi supra millesimum rheumaticis doloribus in cervice praesertim, et humeris laborabat; interdum febri obnoxia erat. Etesiae spirare jam coeperant, quas Petiliani valetudini maxime inimicas semper reperi. His

cedenti allorchè si trattenne nelle insalubri pianure di Padova. I marziali, gli aloetici, e l'estratto di gramigna principalmente costituiscono il piano della cura, che ha ridonato al Negoziante Trentino la sua piena salute Da quest' istoria si rileva, che la milza fu attaccata in principio da lenta, e cronica infiammazione, la quale divenne acuta per lo sviluppo d' impegni più generali, e più forti nei visceri abdominali. Tale istoria dimostra ancora, che l' infiammazione di milza comparisce di rado isolata ed unica. Trovo poi l'estratto di gramigna, e la sua decozione valoroso deostruente, agendo o per una occulta attività risolvente, o rianimando, come ottimo nutriente, l' energia, e la reazione del sistema vascolare. Il Dott. Capo d' Istria, che è stato forse il primo ad accordare la qualità risolvente alla gramigna, crede di sciogliere con questo vegetabile le scirrose durezze glandulari. Io non ho ottenuti resultati cotanto felici.
Uberto Cartoni.

flantibus, et febricula ingruente, contigit surgendi necessitas, ut operi pistorio per multas noctis horas operam daret, et postridie ut, nescio cui rei, purgandae causa, proximum flumen adiret. Id prae lassitudine, et frigore aegerrime confecit. Sequenti die febris multo stipata frigore, cephalgia supraorbitali, membrorumque contusivis doloribus ingressa, gravior evasit, noctemque dedit molestam, in cujus decursu dolores vagi per abdomen accesserunt. Hanc velim primam splenitidis diem. Secunda igitur nihilominus surgit, et in proximam viri lanienam ad nonnullas horas moratur; ibidemque iterum febri ejusdem naturae corripitur. Eo die dilapsa est nix, et miserrimae mulieri cum frigore, et febri colluctandum fuit: hinc insomnium: febris inde exacerbatio; et in utroque hypocondrio tam acutus dolor, ut quietis impatiens surgere, et noctis reliquum prope focum consumere coacta fuerit mulier. Tertia mane advocor, et ut investigarem in abdomine doloris sedem, tantillum ut cubaret obtineo. Jecuris contrectationem, et eo minus splenis, aliquantulum tumentis, se non posse pati affirmabat; suffocari immo inclamabat, nec stomachum tunc temporis a dolore ajebat vacare. Tussi angebatur sicca, sitique. Nullus vomendi nisus, neutroque in humero dolor: pulsus durus, et obscurus: pellis arida: facies ferme tumida. Haec dum considero, surgit repente, prae spirandi difficultate, iterumque ad focum pergit aegrota, ubi prima phlebotomia eidem facta fuit. Sanguis detractus

ad uncias octo crustam albam exhibuit. Melius illico spirare potuit, et in abdomine nonnullas doloris inducias obtinere. Resolvens epithema, nec non anodynos ex matricariae decocto clysteres jubeo. Contigit vespere ut longe ab aegra discesserim sacerdotem *Manni* Phaliscodunensis Episcopi Vicarium gravi peripneumonia laborantem invisurus. Igitur post quadraginta octo circiter horarum spatium reversus, morbum valde ingravescentem reperio. Splen magis intumuerat, et cum eo abdomen, cujus tota regio diris excruciabatur doloribus; ipsi quoque inferiores artus dolebant, sinister magis, qui factus fuerat tumidus. Tumebat etiam frons, quae erysipela correpta videbatur. Animo concidit aegra illa die non solum propter morbi intensitatem, sed etiam ob inopinatam, et improviso cognitam leviri sui mortem. Inter ploratus gravior fit dypsnoea, quae jam aderat, graviores etiam in abdomine dolores, et febris exacerbatur. Illico vena rursus adaperitur, et sanguis ad librae pondus elicitus valde niger apparuit, alba sed tenui crusta obtectus. Hinc aegra, facilius spirare valens, lectum ascendit, ubi minori cum molestia jacuit. Duabus horis elapsis, en epistaxis primum e sinistra, deinde ex dextera nare. Sanguis in malluvio receptus unciarum quatuor circiter pondus aequavit; rubicundus erat, et ulla sine crusta. Noctem obtinuit quietam. Sexta die talem mingere coepit urinam ut lactis ferme densitatem, lateritiumque colorem referret. Febris mitior fuit: dolores hypocondrio-

rum et ipsi mites; atque ita paulatim morbus, et cum eo abdominis tumor decrevit. Contrectationis in sinistra hujus regione ad multos dies impatiens tamen fuit aegra. Facies, et pedes circa nonam diem detumuere. Perfectam vero valetudinem obtinuit, postquam ab origine morbi integer ferme mensis elapsus fuit. Rhabarbari post decimam quartam diem, nec non martis tartrati tincturam ad multos dies commendavi. Mulierèm tandem bene valentem reliqui, et adhuc bene valet.

Historia VI.

§. 18. Ioseph *Ciogni* e Petiliano temperamento sanguineus, ovium pastor a puero, biennio antequam hoc corriperetur morbo, in vallem maritimam, *Marsilianam* dicunt, se contulit bobus arva culturus, ibidemque moratus fuit usque ad vigesimum aetatis annum.

Mense igitur januario 1819 violenta febris cum lateris dolore ipsum aggressa est. Vix ista cessarat cum domum versus iter instituit, viginti millia passuum vectus equo; narravitque se eo molestius viam confecisse quod borealis ventus magno impetu sibi in faciem spirasset. Accersitus ut inviserem, tertio labente die, haec notavi. Plumbeum aspectum: oculos micantes: difficilem inspirationem: pulsum frequentem, et durum. Dextera thoracis pars circa nothas costas dolebat, et sinister latus pariter; hepatis inde, et splenis lo-

cum, cum contrectassem, graviter sibi dolere affirmavit: lingua albicans et arida erat: arida quoque cutis: sitis permagna: tussicula frequens: excreatus nullus: parum mejebat. Sanguis ad uncias quatuordecim detractus fuit. Crusta alba in eo satis tenuis apparuit, neque ad totam superficiem vasis extensa. Nox insomnis, et inquieta. Quarta die calomelano purgatus est: dejectiones paucae, et meraces fuere: urina modica, citrina, et vix turbata. Anorexia summa a primis diebus; cibus vero, quem sumere cogebatur ab adsidentibus, vomitum ciebat, reapse tamen non vomuit, et pauca tantum sputa tenacis salivae emisit ex ore. Febris in reditu stertorosa facta est respiratio. Quinta die non amplius de pectoris dolore querebatur, sed hypocondria contrectata dolebant adhuc. Cum supine semper decubuisset, hunc jacendi modum ad ultimum servavit. Urina qualis in hesterna fuit. Redeunte febri pulsus parvus, et inconditus factus est: stertor vehementior: facies livida: mortuus est.

§. 19. Extrinsece cadaver dum inspicerem in universum corpus ne menda quidem apparuit. Sectionem moliti sumus a thorace per communia tegumenta, et ad pubem dereximus. Carne denique usque ad costas, et peritoneum praecisa, hunc de more secavimus. Volumen jecuris auctum quidem erat, sed nullum in eo morbi signum, color insuper nativus. Nondum de ipsius sanitate convicti, ut melius inspiceremus extraximus. In parte gibba erysipelam reperimus exten-

sam in supraposita quoque diaphragmatis parte: nec tamen profunda erat haec hepatis inflammatio, sed valde circumscripta: nullus tuberculus in ejusdem substantia: cistis fellis parum bilis atri coloris retinebat. Stomachus tunc, qui paulo parvior quam esse solet apparebat, et intestini jecuris thalamum occupantes conspiciendum dederunt lienem undique inflammatum, et praeternaturalis formae. Ipsum ex integro inspicere cum volumus sthomacho adhaerescentem sentimus, nec absque laceratione posse divelli. Nullae aliae vero parti, vel succingenti peritonaeo coalescebat, praeterquam suis ligaminibus. Stomachum in situ iterum locavimus, et partem illius majorem insidere vidimus in ejusdem lienis cavo latere. Ipse autem stomachus parvam praebebat inflammationis notam, nec alium morbosum, aut praeternaturalem characterem exhibebat. Avulso ex suis ligaminibus liene, in parte superiori valde crassum illum invenimus usque dum stomachum superasset. Membrana lienis circa initium vasorum brevium tam fortiter accreta atque affixa erat caeco ventriculi fundo, ut undique tentata divisio fieri nequiverit, nisi laceratione membranae ipsius lienis, cum qua substantiae quoque parenchymatosae portio abrasa fuit. Adhaerentia autem haec stomachi ad lienem extensa erat ad traes digitos transversos per latitudinem, et paulo plus per longitudinem: figura ferme circularis. Stomachi interna lamina eidem adhaerentiae respondens abque rugis ferme ap-

paruit: ipse autem vacuus. Membranam lienis quam secum traxerat stomachus iterum separare necquidquam tentavi, instrumenta namque lacerabant frustula illius, quin disiungerent. Lienis autem parenchyma undique, et per totum inflammatum erat, coloremque arteriosi sanguinis praebebat, ubi decorticatus fuisset. Ipsius autem membranae absque parenchymatis substantia detrahere modicam nequidem partem a viscere licuit. Pondus visceris vigintiquinque uncias aequavit: longitudo duodecim digitorum fuit, latitudo circa medium sex digitorum: crassities maxima in superiori parte duplex quam in reliquo. Diaphragmatica fornix, quae lieni supererat aliquantulum inflammata erat. Caetera abdominis viscera sana apparebant.

Praecisis inde thoracis costis a cartilaginibus, et in dextera primum parte, per vulneris rimam introspeximus membranam pulmonis dexteri pleurae costali adhaerentem; non ita in sinistra erat. Divulsionem itaque sterni cum cartilaginibus perficientes, sinistrum dum videmus pulmonem tantum flaccidum, nulloque latice circumdatum, dexterum membranae, quae thoracem succingit omnino accretum reperimus: partim per immediatam adhaesionem, partim per generationem pseudomembranae a flava lympha concreta. Tantus autem factus erat pulmo, ut cavitatem omnino repleret, tamque durus, ut scirrhosum credi posset. A superiori autem parte per costas usque ad ipsum diaphragma, et similiter,

ex averso, digito inserto discindere opus fuit, ut inde sepositus examinaretur pulmo. Nonnullis in locis quasi erysipela affectum conspeximus; in superiori, et postica parte usque ad diaphragma phlegmone captus visus est. Totam autem ipsius substantiam tenebat inflammatio, nec ipsa magna vasa phlogosi carebant; hepatis autem consistentiam cultro praebuit. Nullum in hoc pulmone pus: lympha pluribus in cellulis. Hae fuere laesiones quas una cum experto chirurgo *Rutilio Palazzuoli* animadvertere potui. Alia viscera nil praeferebant morbosi. Caput secatum non fuit.

§. 20. Considerantes interim nos adhaerentias contra naturam diversarum partium consequentias esse praeteritae jamdiu inflammationis perperam judicatae, ut ait Thiery (*a*); sic coagmentum illud parietum stomachi, et lienis tamquam novissimae inflammationis effectum respicere nequivimus. Opilio namque cum fuisset aegrotus noster in territorio Petiliani male sanus semper apparuit, melioremque non obtinuerat valetudinem ex quo *Marsilianam* descenderat; intermittentibus immo persaepe laborarat. Vestigia gastritidis talia non erant, qualia observantur tum cum stomachus inflammatione nuper afflictus fuit. Scrobs lienis insuper, quo stomachus se quodammodo adegerat, nec opus unius diei putandum est. Ipsius tandem adherentiae firmitas vetusta-

(*a*) An in celluloso textu frequentius morbi, et morborum mutationes.

tem affectionis significasse putavimus; quae ex praecedenti chronica splenitide probabiliter oriebatur; lienosum namque fuisse satis compertum erat. Ex frequentia autem aucti lienis inveniendi non adeo mirum videtur hoc viscus mole, et pondere auctum propria gravitate descendisse, sensim elogatis, et multiplicatis vasis versus inferiora abdominis; hic vero casus docet sursum etiam ascendere posse, rarum certe, quamvis non novum phaenomenon (*). Quod quidem persuadere etiam potest in superiori visceris parte primum saeviisse morbum: adhaerentiam stomachi lieni tunc ortam, et paulatim confirmatam; pathologicam vero ejusdem partis conditionem ad novissimum usque morbum servatam fuisse, et chronicam inflammationem in acutam migrasse.

Mantissa.

§. 21. Cujusbet viscerum inflammationis duae cum sint species, quae nonnulla habent phaenomena propria, multa communia, membranarum quibus viscera teguntur primam dicimus, nomine phlegmasiae parenchymatis designamus

(*) Hujusmodi casum a De la Motte accepimus (*Traité complete de chirurg. T. II.*) Post diuturnam intermittentem febrim hydrope perierat homo, in cujus cadavere lienem mole insigniter auctum reperiit, diaphragmatis partem sinistram sursum trudentem, ita ut parvum tantum spatium inveniretur inter axillam, et ipsam lienis summitatem.

alteram (*): sic vel una tantum, vel utraque potest splen aegrotare. Si enim peritonaei tantum pars, quae illius substantiam externe succingit inflammatione teneatur, manifesto, recurrente, et acuto quidem dolore, non tamen gravi, fixo, pulsativo, et valde profundo modo sursum circa claviculam molesto, interdum deorsum versus scapulam, qualis in pleuritide usuvenit, laborat aeger. At si parenchyma inflammatione corripiatur haeret tunc fixus profundusque dolor in aliqua visceris parte, molestia vero per totum illius ambitum usque ad ultimum morbi, et quo constantior est centrum doloris, sequiturque phases febris, eo gravior quoque est morbus ipse, et solius naturae viribus haud facile resolutio evenit.

§. 22. Harum hinc inflammationum species investigare, unamque quoad fieri potest, ab altera distinguere non inutile certe, neque parvi commodi. Prima species constituit ut plurimum erysipelaceam, vel erythematicam si Culleni verbis uti placet, splenitidem, qualem in tertio aegroto extitisse putavi (§. 7), quaeque chronicae, vel acutae peritonitidi persaepe, gastricis, et catharralibus febribus aliquando, aut aliis morbis adjungitur (**).

(*) Nomine parenchymatis usus sum ad intimam visceris substantiam designandam: non quia inficias ire velim quibus illud reijciendum censuerunt (*vide* Moreschium de urethrae, glandisque structura), sed quia vocabulum est conventionis apud medicos vetustate sacratum.

(**) Erysipelam in cavitatibus serpere posse plures exi-

§. 23. Cum autem visceris parenchyma phlegmone corripitur, tunc neque ipsa membrana inflammatione caret; hinc utriusque affectionis signa in aegrotis adnotare contigit, nec unius speciei diagnosim tam facile ab altera secernere semper possumus. Ita fit, ut frequenter solum

stimant, et Nestor medicorum nostrae aetatis (*Jo. P.* Frank) ad ventriculum pertinere aeque ac phlegmasiam demonstravit (*De curand. hom. morb. T.* 2. *O. IV. gen.* 3). Nobis non isto solo in casu in pulmonibus et in hepate erysipelas videre contigit (§. 19.); sed in aliis quoque internis partibus. Lienis membranam erysipela correptam vidi anno 1817 in autopsia cadaveris cujusdam famosi grassatoris interna suppuratione jecuris perempti, octava die postquam globulus e sclopo emissus idem viscus per medium transfoderat, e dextera mamma spinam petens; et alias pariter in juvene qui peticulis retropulsis supremum finem attigerat. Dehinc Hyppocratis libros dum manibus verso hanc firmandi sententiam argumenta sumo. Splenitidem enim, quam ipse revocat a sanguine, venae-sectione, et purgantibus curandam jubet, prohibitis vomitum cientibus, ob gastritidis forsan timorem: illam vero quam repetit a bile calida (humore a quo veteres rebantur erysipelas gigni) dolore tantum acuto, et interdum vago praeditam comperit Senex, et eidem absque phlebotomia medebatur (*De intern. affection*). *Donatus* Ab. Altomari Aetii, et Tralliani vestigia premens medelam lienis inflammati a phlegmone lienis distinguit (*Cap.* 88); et a simplici inflammatione phlegmon lienis distinguit etiam Forestus (*lib. XX. Obs. VI*). Quare non solum rationibus, sed etiam factis, et veterum praxi firmum teneo in splene erysipelam interdum gigni, et venae-sectionem tunc nec largam, neque temere instituendam esse.

inflammationis gradum, febrisque characterem liceat distinguere in praxi, differentiaque essentialis saepius in causis, in sthenica, vel hypersthenica diathesi, in pathologicae conditionis gradu et vetustate, et in concomitantiis reperiatur; ideoque in sumenda indicatione, adhibendaque medela ad varietatem symptomatum, sed etiam ad coexistentiam, gravitatemque respiciendum.

§. 24. Deficiente, ut evenit aliquando, visceris tumore, qui illico sensibus apparebat (§. 5. 6. 7. 15. 16. 17), et frequenter apparet cum lienis inferior pars inflammatione corripitur, vel universim phlegmasia laborat, quodque esse potest ultra pathognomonicum signum splenitidis in aegroto, qui minime lienosus fuerat, sinistri hyponcondri dolor non semper de splenitidis existentia indubitanter nos admonere potest. Pro ea interdum colicam insimulare possunt aegri; et ipsius doloris remissio, non firma sedes in splene erysipela correpto, vel sympaticus dolor in dextero hypocondrio dubiam facere possunt medici mentem an reapse existat splenis inflammatio, nisi ad symptomata illa convertatur, quae in splenitide, sive acuta fuerit, sive etiam chronica, nunquam deesse vidi.

§. 25. Dyspepsia igitur, sitis inextinguibilis jacendique difficultas in alterutro corporis latere, cum acuto, profundo, aut gravativo dolore in sinistro hypocondrio ea sunt, quae nobis deprehendere primum fas erit in quolibet splenitidis gradu vel tempore. Tussicula dein sicca, et capi-

tis dolor apparent item. Insomnium semper in acutae primordiis, somnia turbulenta cum oris graveolentia statim ac aeger expergiscitur in chronica; et tactus subter hypocondrium sinistrum versus aliquam partem lienem trudens dolorem constanter exasperat sive parenchymatis sit propria inflammatio, sive etiam unius membranae: quo in casu, ni splenitis aliis conjuncta sit morbis vel peritonaeo, proximisque visceribus communicetur phlogosis, alia nulla proferet in medium phaenomena; brevique tempore naturae nisibus (§. 7), vel artis auxilio (§. 5. 6.) feliciter superabitur.

§. 26. At in gravissimae, et acutae splenitidis specie, cujus modo historias consideravimus (§. 15. 16. 17. 18), multa alia apparent. Vigente namque hypersthenia praeter illa symptomata, quae splenitidis tantum sunt, gastritidis, et peritonitidis saepe, interdum diaphragmitidis, nephritidis, et psoitidis, aliquando etiam hepatitidis, aut peripneumoniae observare contigit: grave hinc majus minusve periculum lethalis finis, quod in simplici splenitide, rite curata, minime urget.

§. 27. Cum autem in gastritide functionum omnium languor, infanda virium ruina, lipothymia, et suffocationes celerrimae, et frequentiores sint quam in aliis phlegmasiis, et frigidus sudor diaphragmitidis sit comes, haec non splenitidi quidem pertinere judicavimus in homine (§. 15); compertum namque erat gastritide simul, et dia-

phragmitide laborasse, sicuti ex vomitu bilioso, et spontaneo, provocato et non levante; ex tensione dolorosa circa praecordia, et per totum abdomen, tactusque intolerantia in cardiam deprehendere licuit. Ex urinae tandem nimium modica quantitate, et ad multas horas suppressione, aliorumque symptomatum turbis propagatam inflammationem agnovimus.

§. 28. Juvat interim considerare in qualibet splenitide constans naturae molimen quod ex Hyppocrate huc usque observatum ad aequilibrium restituendum praeminet: hoc est epistaxis, quam idem medicinae Parens, veteresque medici e sinistra nare faustam auspicabantur, et ipsam ad resolutionem saepissime disponere viscus eo ferme modo, quo urinae sedimentosae conferunt ad conficiendam hujus morbi crisim (§. 13. 14). Et quoniam aliquis dixit tale phaenomenon non semper afferre securitatem salutis, vel quia immodica evadat interdum epistaxis, vel aliis de causis; buona utique, et salutaris censenda erit illa, quam seguitur cephalgiae cessatio, sitis tolerantia, corporis quies, et gustandi potestas. Quae autem crasso, et albo mictu supervenit rebatur Hyppocrates liberare posse etiam ab abscessu (*a*); sed non tantum quae supervenit, quam quae simul evenit, ante decimamquartam diem, abscessus formationem removere potest, quia inflammationem solvit dummodo mitis, et

(*a*) De humoribus circa finem.

partialis fuerit, et alias quoque chronicas lienis affectiones arcere valet. Bonam quandoque comperi epistaxim in chronicis quoque lienis inflammationibus; medebarque nuper lienoso viro, modica simul asciti laborante, qui hoc morbo, et febri liberatus est, non sine maximo auxilio moderatae epistaxis, quae sex circiter mensium spatio bis terve in hebdomada summo mane aliquando guttatim e naribus, identidem excreatu tantum apparuit.

§. 29. Haemorrhoidalis fluxus pariter salutaris in splenitide observatus fuit; sed hoc fortuitum est, et peculiare naturae molimen, proprium scilicet illorum, in quibus haemorrhoides extant, vel fluere solent, non ordinarium quidem splenitidis, licet ad sanitatem contulerit, sicut alias contulit in chronica splenitide immodicus lochiorum fluxus (vide §. 32. 33).

ARTICULUS. III.

Chronicae splenitidis historiae

Historia VII.

§. 30. Seraphina *Focacci* Petilianensis temperamento sanguineo, et optimo corporis habitu a natura praedita fuerat. Florenti aetate annorum vigintiduo virum secuta rus, ibi aliquantulum commorata fuit; ibidemque, ut reor, omnem ad diutinum morbum opportunitatem assecuta est.

Forte evenit, ut quadam die inciderit in miserrimum spectaculum cujusdam foeminae, quae crudeliter vapulabat a viro, ut penè moritura videretur. Hinc in nostra muliere animi ingens perturbatio, et postridie febris. Ea intermittentis tertianae simplicis typo, prosecuta est. Petilianum igitur circa dimidium augusti 1819 reversa, purgata fuit, et china eidem exhibetur semel et iterum, et magnis quidem dosibus, ob frequentes, ut reor, recidivas quas vel simplicis, vel duplicis tertianae passa fuerat. Immo et alia multa, quae praedicantur remedia a vetulis, vel ab agyrta vetularum pejori exhibita, ingurgitavit: nec liquoribus multis pepercit. Interim lien dolere, et intumescere coepit; assurgere, ac se protendere. Octobris mense, post tertianam, divexata fuit quartana duplici, in cujus accessionibus semper vomabet, sitiebat in cursu, in declinatione esuriebat. Pilulas multas ex rhabarbaro primum, et extracto eupatorii eidem dedi, et absynthii vinosam infusionem modice per diem bibere sum hortatus. Aegra inde ad tres circiter menses per aliquot tantum dies febri vexata fuit. Eo tempore epistaxis bis vel ter in mense apparuit. Febris postea efficitur iterum quotidiana. In illius accessu ingens semper, et pervicax fuit sitis, quam cum explere niteretur, lienem, et cum eo totum abdomen constanter intumescere observavit aegra. Hyeme anni 1820 ad me venit ut semet curarem rogans et lienem permagnum obtulit. Febris quotidie aderat, modo vespertinis, ut plurimum antemeri-

dianis horis accedens: luridus erat vultus: dentes, et lingua flavescenti quadam vernice obducti: vires maxime fractae. Comedebat tamen ut in autumno, et saepe vomebat. Cupiditatibus autem movebatur talibus, ut praegnans crederetur, et curatio ab illarum satisfactione non parum retardata fuit. Hanc igitur suscepi, et primum epithemata cicutae et verbenae, dein linimenta ex ipsius cicutae succo, absque igne extracto, diu super lienis regionem imponere volui. Sanguis e saphena ad dosim unciarum quatuor elicitus fuit. Pilulas deobstruentes, quas alias feliciter exhibueram, inde sumendas dedi (*). Lotium multum crassum et terreo cum sedimento per duos circiter menses reddidit. Hyemis sub finem ferri tincturam cum apii pomis extractam, vinum modicum, et dum sineret coelum deambulationem, equitationemve persuasi aegrotanti. Febris tunc simplicis quartanae typum assumpsit iterum, et rursus quartanae duplicis; ejus vero paroxysmi minus vehementes cursusque breviores fuere. Lien quoque minus dolere, et detumescere coepit. Aprilis mense hirudines podici applicatae fuere, et post nonnullos dies catamenia, quae per totum morbi cursum desiderata fuerant, apparuere. Relictis tunc pilulis, ferri tincturam cum tartrato potassae eidem dedi. Mense majo liberatur quartana, et gravida fit. Secundo gestationis mense lien sub hypocondrio se reduxit, et toto ferme praegnationis tempore bene

(*) Vide notam ad §. 7.

valuit mulier. Die vigesimaquarta februarii 1821 infantulam in lucem dedit, quae tres post dies febri maligna enecatur. Hujus corpusculum statim nigrum, et vibicibus conspersum apparuit. Mater vero adhuc bene valet absque ullo anteacti morbi in liene vestigio, et in domesticis laboribus facta est actuosior, nec non aspectu, ut antea, decora.

Historia VIII.

§. 31. Israelita David P..... viginti septem circiter annorum, temperamento sanguineus, origine Petilianensis, Manciani incola, intemperate, praesertim quoad liquida spiritu redundantia, vivere solitus, pervicaci intermittenti febri correptus est labente aestate anni 1820, quae modo tertianae simplicis, modo duplicis typo prodivit. Chinam pluries sine ullo ferme profectu ingurgitavit aeger. Tandem circa idus octobris Petilianum venit. Febris continua evaserat pulsu cum vehementi, et quotidiana remissione. Sinistro sub latere, haud paulo inferius ubi situs est lien, descenderat hujus tumentis visceris moles, et talis erat ejus durities, ut illac digitum inferendo petasonem contrectari videremur. Sitis erat valde molesta: sponte vomuit: caput dolebat. Bis eidem sanguis detractus est; calomelano purgatus, et emplastrum ex cicutae succo applicatum loco tumoris. Pilulas ex rhabarbaro, et gummi ammoniaco quotidie diu deglutivit. Postea febris

valde mitior fuit, et quotidie intermittens: lotium satis grave, et abundans alba cum subsidentia minxit: stare potuit, et equitare. Ultimis diebus octobris calybeatis, et ferri limatura uti coepit; attamen tumor nil ferme visus est decrescere. Domui nimis humidae, et humidae tempestati, nec non notis in diaeta erroribus exiguum profectum tribui. Relicta inde, propter stypticam alvum, ferri qualibet praeparatione, pilulas supradictas, quae sibi magis conferre affirmabat, iterum praebui. Fuit interim qui, ut febrim ab aegroto propulsaret, chinae, cascarillae, et quassiae infusum sorbere quotidie eidem jussit. Nil profuit excitans remedium: quinimmo febris postridie idus novembris recruduit gravi cum lienis dolore, et continua facta est: caput valde doluit: calor, et sitis molestiores fuere. Post venae sectionem, qua sanguis ad librae pondus detractus fuit, sponte vomuit, et alvus soluta est. In crastina duplicem pilularum dosem deglutivit. Foeces abundanter septem dierum spatio rejecit: urinam gravem iterum minxit; et dolor lienis, cui super impositum fuerat malagma anodynum, paulatim cessit cum febri, qua vigesima die mensis ad multos inde dies caruit.

Paulo post otium domi perosus, mercaturae causa Mancianum iterum petiit: ubi, paulo plus quam par erat, cibo atque compotationibus indulgens, erratica iterum febri, et stomachi repletione cum recurrente lienis dolore affligitur. En igitur aegrotus rursus intra patriae septa; eidem-

que cum praesto essem, de febri, et vomituritione querentem illum audivi; inappetentia simul et lassitudine afflictum reperi; lienis vero molem valde imminutam in explorandum cognovi. Sequenti die, nempe pridie nonas decembris, emeticam potionem dum ori admovebat porraceas materias, sponte, et abunde vomuit. Febris inde mitior fuit: vomituritio per tres adhuc dies stetit, donec per pilulas ex rhabarbaro, et aloe socotrina paratas catharsis apparuit. Interim regio morbo corripitur. Addidi tunc rhabarbaro, quod parva, et repetita dosi mandebat quotidie, saponaceas pilulas (*): somnum multum, et quietem prohibui; et ab isto quoque morbo brevi liberatus fuit. Ferri tartrata tinctura inde usus est, et hyeme recedente anni 1821. bonam totamque cum prospiceret valetudinem, pauperiem pati metuens, ad negotia convolavit. Azimorum paschate ejusdem anni sanissimum reperi.

A chronica splenitide pervicacissimae lienis obstructionis casus alii.

§. 32. *Casus I.* Vir frugi, cui patria Petilia,

(*) ℞. Sapo venet.
Gumm. amm. ana drach. ij.
Mercur. dulc. dr. j.
Sulph. aurat. antim. dr. ss. ms.
cum extractu eupatorii q. s.
f. b. gran. vj,
Dosis a quatuor ad decem in die.

num, conditione dives, et habitu corporis sanus, secundas nuptias inivit cum muliere, quam ego novi senectutis tempore, et a vetustis ulceribus in suris divexatam ad extremum vitae. His conjugibus oritur filia corpore valde gracili. Color ejus, praesertim pubertatis tempore, terreus, oculi subflavi, carnes nimium paucae. Adolevit puella paternas inter atque maternas blandicias, vitaeque commoda, praeter domum, quae humida semper fuit; sed cum ipsa magis adolevit lien, qui interdum dolebat, ex quo praecipue catamenia stillasse oportuerat. Ob divitias tamen a multis expetita, decimo octavo aetatis suae anno nupsit viro pariter lienoso, statimque a prima concepta prole meliorem nancisci valetudinem visa est. Graviditatis igitur tempore detumuit in muliere omnino lien, et optimo corporis habitu prodivit. Permagnus erat autem abdominis tumor, ita ut geminos saltem continere foetus facile credebatur. At nono nondum omnino expleto a conceptione mense, ingenti cum sanguinis aquarumque fluxu, exilissimam infantulam peperit, quae tertium non vidit solem, deserens nigerrimis flictenis obductum corpusculum, et ante sepulturam putridum. Mater virilem inde nacta est roborem, et usque adhuc bona valetudine fruitur, non sine magno auxilio aquarum mineralium balnei Petiliani, quas quotannis ad multum temporis sorbere consuevit.

§. 31. *Casus II.* Hic referre liceat casum quem praebent *Ephemerid. naturae curiosorum*, cujusdam nempe adolescentulae hypocondriacae, quae

postquam multorum remediorum copiam ingessit, splenitide correpta fuit, et permagnum, indolentemque, quem scirrhosum putavere, lienem diu tulit; postquam vero nupsit, primis et ultimis graviditatis periodis, splenitidis symptomatibus rursus vexata fuit, absque eo quod quidquam immutaretur in viscere. Tandem feliciter enixa, post abundantem lochiorum copiam lien, qui dimidium abdominis undique occupaverat, ita detumuit, ut ne vestigium quidem remaneret antecedentis affectionis.

Quamobrem volumen duritiemque tumentis lienis, hisce in casibus, a sanguinis praesertim congestione ortam putare licet, quomodo ratus est jampridem TRALLIANUS in ferme simili casu (*a*).

§. 32. *Casus III.* Vir petilianensis mulieris, cujus supra mentionem fecimus, mente omnino, et corporis habitu talis erat qualem melancolicum esse descripsit BUCHAN (*b*); lienosi pariter et insanabili vulnere in suris affecti hominis filius, atque ab adolescentia, ut accepi, haud multum sanus, et doloribus interdum in liene divexatus. Amotus tamen a patria, destinatusque jurisprudentiae studiis vitam vivere potuit, et coaevam uxorem ducere. Vixit cum illa annos decem et octo, gravem morbum nunquam passus, bona valetudine nunquam fruitus, filios sanum inter multos nullum generans. Domesticae rei, et propriae industriae

(*a*) Lib, viij.

(*b*) Medicina domest. 3. 1. Cap. XI. Art. III,

lucro unice intendens, quin saluti labenti consuleret, et scorbuticam accedentem diathesim paveret, prophylacticum quodlibet regimen, et curationem, aliquando feliciter susceptam, obstinate praetermisit, vel illam tandiu procrastinavit, ut anno 1817 post peticularem morbum tabicus conciderit. Lien tunc dimidiam abdominis partem, a sinistro hypocondrio ad pubem usque protensus, occupaverat. Eo grassante morbo a quo, et ipse ego afflictus, nuper surrexeram, neque tempus, neque animus mihi fuit foetentissimi cadaveris autopsiam instituere, et collega meus *Aloysius Sacconi*, vir in chirurgia strenuus eadem peticulari febri nuper perierat. Notandum tamen quod cadaveris corruptio tam prompta fuerit, quam cito adfuit in cadaveribus puellarum de quibus supra (§. 30. 32) verba feci.

§. 32. *Casus IV*. Quam mihi, proprio calamo exaratam sui morbi historiam, remisit aegrotus, postquam ex imis vallibus montana petivit, ibique post sex circiter menses sanatus est, referre gratum spero lectoribus ». . . . Nell' anno 1784
» partendo da Pitigliano andai a dimorare alla
» Marsiliana, luogo dei peggiori della maremma,
» ed allora non era in me principio alcuno di
» ostruzione. Dopo due anni mi comparve un
» gobbo durissimo nella parte sinistra del ventre,
» quale crebbe, e si elevò in pochissimo tempo.
» A capo di qualche anno questo gobbo si era
» esteso al di là dell' ombelico per la parte de-
» stra, e verso i lombi per la sinistra. Il dolore

» che mi cagionava non era continuo, ma molto
» era l'affanno ed in specie nelle salite. Ne tra-
» scurai la cura per circa undici anni, ma dopo
» tale epoca dandomi del fastidio, ed essendomi
» ridotto in uno stato pericoloso di salute, mi
» determinai di venire al bagno di Pitigliano, mia
» patria. Dopo di aver fatto uso per quindici
» giorni di quell'acqua in bevanda, unita nei pri-
» mi giorni al sale d'Inghilterra, trovai che l'ostru-
» zione era molto diminuita. Dall'aver passata
» quest'acqua ritrassi ancora un altro vantaggio;
» poichè per tre consecutivi anni non fui assalito
» dalle febbri, come erami per l'avanti accaduto
» costantemente nel mese di Agosto, non ostante
» che continuassi a dimorare in maremma. Pas-
» sarono dopo tal tempo altri sei anni senza che
» prendessi cura della mia milza; perchè diminui-
» ta, e poco dolente. Crebbe dipoi a poco a poco
» di volume nel corso di altri dodici anni succes-
» sivi, e mi condusse ad una tal debolezza di
» stomaco, e difficoltà di caminare, che finalmente
» fui costretto a sottopormi alla cura di un medico
» di Grosseto. Nel corso adunque di quindici
» giorni feci uso di molte pillole deostruenti mat-
» tina e sera. Un ostinata, ed incomodissima diar-
» rea tenne dietro a questa medicatura, che per
» il corso di due mesi, e più non fu possibile fre-
» nare con alcun rimedio, o regime suggeritomi
» da diversi medici. Stanco di tante inutili prati-
» che, e ricette volli mangiare in una sera alcune
» fave lesse preparate per altri, e furono precisa-

» mente trenta. Fermatosi nel giorno appresso lo
» scioglimento tornai a mangiare doppia dose di
» fave, e cessò affatto la diarrea, e con essa la feb-
» bre; e la milza era ridotta ad uno stato presso
» che naturale. Nella state dello scorso anno 1819
» tornò a tumefarsi la milza, come ella deve ram-
» mentarsi, ma dietro l' uso dei rimedi da lei ap-
» prestatimi al presente mi trovo egualmente bene
» che nell'anno 1784....

Elmo 20. Marzo 1820.

Dev.mo Obbl.mo Servo
Giuseppe Cappelli.

Presbyter hic modo ferme sexagenarius, qui a natura bilioso temperamento praeditus fuit, variis fortunae casibus ad aegestatem reductus, animi pathemata multa, et pergravia diutissime substinuerat. Has ob causas, ni fallor, praetermisit longo temporis spatio curationem, quam ocyus suscipere debuerat, quamque diarrhoea primum Crasseti, dein abundanti, et satis gravis urinae profluvio in Eremi monte obtinuit. Fatendum vero aërem, et aquas valde praestantes novissime ad illius salutem satis contulisse; remedia autem quae eidem exhibui, aut imperavi pilulae fuere, quas supra notavi (§. 31.); ferri tincturam, deambulationes, et equitatio.

Mantissa.

§. 36. Priusquam peculiares differentias acutam inter, et chronicam splenitidem consideremus, ad

conditionem pathologicam lienis animum convertamus oportet. Hoc nomine intelligo inconditum, vel perturbatum motum alterutrius sanguinis in alterutro, vel in utroque vasorum lienis systemate, sive aliorum humorum, ita ut sanguinis quantitas quae eodem advocatur, vincat naturalem, singularemque lienis proprietatem ad multam excipiendam copiam, ita ut convenienti tempore ipsi sanguini vel alicui ipsius parti, aut etiam aliis humoribus exitus inde prohibeatur.

§. 37. Duae autem videntur praecipuae rationes quibus sanguinis motus in splene perturbantur, efficiuntque ne viscus munia sua libere obeat, et ut ita dicam primordia sunt pathologicae conditionis, a quibusque si persaepe, non necessario tamen morbus reapse gignitur, nam aliquando viscus ad liberas functiones propriis viribus remeare potest, priusquam morbus excitetur. Harum unam in solidorum vitio reperio; in fluidorum alteram considero. Prima hominis est sive ab haereditaria dispositione (§. 32. 34), sive aliis de causis accidentalibus (§. 16. 17. 35) malo habitu corporis, vel gracili constitutione praediti; secunda robusti (§. 15), et aliquando utriusque propria; quae ab accidentali item causa (§. 5. 6.), sive etiam ab alio universali morbo (§. 30. 31) in liene conflatur. Interdum, nec raro, solidorum, et fluidorum vitia simul agunt; semper vero uni altera succedit, prius quam morbus appareat.

Debiles enim, male alti, animi pathematibus dejecti, illique, qui praeter inimicum aërem,

impuras aquas camporum, vel insalubres quaslibet ingerere ferme semper necessitate vel usu solent, cum ii sint qui chronicam, pertinacemque splenitidem offendunt, quae sensim in alios morbos labitur, conditio pathologica à defectu, ut reor, vitalis incitamenti actioni, et copiae nocentium potentiarum in viscere collectae statim respondentis et propulsantis, in illis repetenda est.

§. 38. Potentias autem nocivas in casu voco principia illa terrea cum aquis ut plurimum deglutita, in sanguine assumpta, et in liene deposita; quae cum morbi fit resolutio abundanter conspicere in matulis, colligere, et analysi subponere licet. Ita se res habere clarius apparet consideratione illorum hominum qui aut nunquam, aut raro splenis affectionibus sunt obnoxii, quamvis his contigerit quartana, vel alius typi intermittenti febri in maritimis vexari; sunt enim illi qui comodam, cautamque vitam ducunt, aut Bromii moderati proselyti, et aquis impuris ora ferme nusquam admoventes (*).

Si sanguinis aliunde massa per circulationem deposuerit foeculentam aliquam partem in liene,

(*) Ex terreis principiis in liene depositis splenitidis elementa revocare mihi videtur etiam Forestus. Ex aquis enim palustribus, et lutosis obstructiones fieri existimat (Schol. ad obs. VIII. l. c.); et ex obstructionibus inflammationem derivat lienis (obs. 1.); et a sanguine crassiore foeculento, et limoso saepius excitari alias affirmat: quod jampridem Hyppocrates suspicaverat (Lib. de aere. loc. et aquis).

quae stimulum in illo excitare possit, incitamentumque vitale statim assurgat et sthenicam, vel hypersthenicam diathesim offendat, quomodo in acuta splenitide contigit videre (§. 5. 6. 7. 15. 16. 17. 18), a fluidorum vitio priusquam solidorum pathologicam conditionem ortum ducere apparet.

§. 39. Duritiem vero visceris, aut alicujus illius partis haudquaquam fieri posse existimo, nisi postquam illa peculiaris nociva potentia solidum incitamenti vitalis ferme exsors fecerit; quinimmo observare datum est, quod si huic vitali incitamento assurgendi potestas fieret, pervetusti quoque lienis tumores resolvebantur; quare factum est, ut aliquando per novam splenitidem veterem lienis tumorem resolutum invenerim. Eamdem resolutionem, amotis tantum causis, quae pathologicam conditionem servant, facile fuit alias obtinere (§. 35.); consequeremurque facilius, dummodo aegri has rursus non ponerent, aut iis subjacere coacti non essent, therapiamque specialem constantius, nec sero nimis adhiberemus.

§. 40 Ea autem dum adest pathologica lienis conditio (§. 36), ut pauxillulum viscus a libertate distet, nulla aptior datur occasio ad evolvendam cronicam ut plurimum, sed etiam acutam splenitidem quam febris intermittens. Quo in casu si splenitis acuta evaserit, tertiana vel quartana febris saepissime in quotidianam vel continuam mutatur, et cum inflammatio remiserit, tunc febris juxta pristinum typum serius, ocyusve

finem attingit. Sed nulla etiam pyrexia comitante chronicam lienis affectionem remanere posse deprehendimus (§. 30. et sequ.), et ad multos quoque annos (*), intermissis exacerbationibus servari.

§. 41. Posset modo quis desiderare autopsiam alicujus cadaveris ex qua cognoscere licuisset an scirrhosus nec ne, post longum temporis aliquando factus sit lien, qui durus, et permagnus diu extitit, cum saepe de lienis scirrho scriptores, et medicos disserentes audiamus; talisque reapse durities hujus visceris in multis reperiatur, ut illud lapideum factum credere aliquis possit. At qui satis magnos, et jamdiu obstructos scrutatus sum lienes, scirrhosum reapse adhuc nullum reperi. Particulam tantum, vel sparsa corpuscula, cartilagineae duritiei in aliquibus detexi, ex fibris plerumque a membrana qua viscus succingitur proficiscentibus, quibusque centrum visceris petitur, et simul morbose coagmentatis, sub coni specie formata.

§. 42. Non autem permagnum lienis volumen, neque hujus durities, neque obstructionis vetustas indicium ullum praebere possunt medico

(*) Hominis splenitide in adolescentia correpti, et triginta inde annis magno lienis tumore laborantis, ac tandem ulceribus in suris vexati, et marasmo perempti historiam narrat Darwinius (Zoonomia Class. I. 2. 3. 18.); et alios hujusmodi casus a me observatos adducere potuissem nisi lectores, et praesertim medios maritimorum toedio afficere timerem, observationibus ipsis pene communibus.

hujusmodi degenerationis (§. 33. 35.); et ubi aliquid scirrhosi invenire magis rebatur, sive ex praecedentibus, sive ex magno, et praeduro in cadavere reperto liene judicaverim, ibi saepe defuit omnino scirrhosa natura; idque multis aliis contigisse narrat ETMULLERUS (*a*). FORESTUS quoque obstructiones lienis fieri plerumque sine scirrho affirmabat (*b*); et MORGAGNIUS ipse, qui tunicam lienis naturali crassiorem, duriorem, et in parte cartilagineam aliquando reperit, osseamque portionem in extimam visceris partem invenit; ad substantiam solidam, compactam, et sine sanguine, quod scirrhum significare potest, reductum lienem bis tantum, sed non totum, tot inter secta cadavera vidit (*c*). Durus ergo si fit saepe lien ab injudicata qualibet splenitide, raro magis quam quis credidit, scirrhosus evadit.

§. 43. Quae cum ita sint, methodum curativam ad lienis durities, obstructiones indiscriminatim appellatas, tollendas inquirere oportet: Haec autem methodus esse non potest empiricum quoddam secretum, recepta, seu remedii formula, aut invariabilis praescriptio, ad omnem lienosorum classem accomodatam: sed praxis potius sive medendi norma a philosophica consideratione nocentium potentiarum, et praesentis status morbi

(*a*) Collegium practicum Lib. I. sect. XIX.

(*b*) Opera cit.

(*c*) Opera omnia T. III. Ubi librum de sedibus, et causis morborum per Anatomen detectis.

profecta, nec non longa confirmata experientia. Hinc quae aliquibus contulit aegrotis, aut quodam morbi tempore profuit medela, aliis forsan erit inutilis alteri etiam nocebit.

§. 44. Usque dum aderit igitur febris inflammatoria, etsi valde remissa, qua cum apparuit lienis tumor calybeata, quae alias eximie pollent in lienis obstructiones, nil conferunt: sed blanda potius resolventia, quae stimuli copiam submovent, excretionemque provocant urinae usurpanda (*), et cum illis antiphlogistici potus (**). Prosunt inde decotiones radicis graminis, vel ejusdem extractum eupatorii cannabini, seu Avicenn. extractu

(*) *Tales sunt pulveres*
℞. Scillae exsiccat. a gr. ij ad x. in die.
Digitalis purpur. a gr. ij ad viij.
Colchici autumn. a gr. j. ad v.
vel solae, vel cum extractu chamaem. aut roob. sambuci exhibitae; aut etiam sequentes boli.
℞. Sulph. aurat. antim. gr. iij.
Pareirae bravae pulv. dr. ss.
Cons. ros. q. s. f. b. vj. *quorum tres sumantur mane, alii in sero.*
(**) *Tales sant*
Decoct. hord. lb. iij.
Nitri pur. dr. ij.
vel Crem. tart. a dr. ij. ad x. (*juxta stomachi, et intestinorum tolerantiam.*) *adde*
Syrup. adianthi cap. ven. unc. ij. ms.
Item. Aquae fontis distillat. lb. ij.
Acidi prussici scr. j.
vel aquae distillat. lauro cerasi gutt. xxx. *praesertim cum dolor valde molestus fuerit.*

permixtum. Haec digestiones faciles reddunt lienosis, molestiam e stomacho tollunt, nutritionisque modum adaugent, quidquid dixerit ALIBERT, graminis adversando virtuti; nam si varii sunt hujus remedii effectus pendent, quoad reor, a telluris natura de qua gramen eraditur, quam diversitatem in omnibus terrae productionibus sensibilem experimur. Fomenta autem matricariae mulcent dolores; qui exasperantur in febris augmento; quique; si acuti aliunde inciderint in liene per suppressiones catameniorum, vel haemorrhoidalis fluxus, hirudinum tunc, statis temporibus, podici applicationem exposcunt. Has vero sinistro hypocondrio, nempe super lienem applicare minime tuta res est; et BAGLIVUS casum splenitidis narrat a cucurbitilis super lienem, derivationis causa, impositis exortae (*a*).

§. 45. Cum autem hypersthenica, aut sthenica diathesis abivit, febrisque inflammatoria cessaverit, tunc ad roborantia paulatim descendere licet, habito respectu ad aegrotantis vires, et quae praecesserit medendi methodum: nec non naturae molimina; interest enim et contigit reapse post paucos dies, quae ferat stomachus cognoscere non solum, sed etiam coctionum gradus, et an urina plus quam solet deponat, ut inde alia contra lienis duritiem praestantiora tuto exhibere possimus, ac praesertim calybis praeparationes.

§. 46. Ferri virtutem, quam contra splenis tu-

(*a*) Specimen de fibra motrice lib. I. cap 9.

mores longa experientia omnium hominum, et omnium aetatum sacravit, quodque utile SOEMMERING in brutis quoque animalibus expertus est, meis observationibus firmare si supervacaneum aliquis judicet, non autem inutile, neque parvi momenti de illius praeparationum delectu, et temporis opportunitate aliquid dicere; non omnes enim omnibus profuere, nec omni tempore prosunt, et nonnullae, quibus indiscriminatim utuntur medici, periculo non carent, vel inutiles evadunt.

Ferri igitur pleraeque praeparationes in apirexia exhibere expedit, et si febris excitetur in die, uti contigit cum splenis obstructionibus, clorosis, hydrops supervenere, aut chronica phlogosis in liene nimis, gravis adhuc restet, pilulas calybeatas, vel flores martis ammoniacales mane sumere convenit (*): dein, si haec bene tulit aeger, bolum martis, vel tincturam tartarisatam exhibere possumus; et cum tumoris resolutio manifeste fit tunc oxydum nigrum ferri, tincturam malatam, vina calybeata, et ipsam limaturam diu usurpare oportet, sive hae preparationes nullis aliis permiscentur remediis, sive alia in earum adjumentum, juxta complicationes, et morbi phases, de quibus infra, advocentur. Illis lienosis, quibus alvus est soluta, dummodo critica non fuerit diarrhoea, aliqua cum adstringenti pulvere ferrum permixtum

(*) Dosis florum martis ammon. a gr. vj. ad xviij. in die.

dabitur (*). Quibus vero styptica facta fuerit, enema saponaceum quotidie inijciendum: plerisque deambulatio imperanda: eodemque tempore tartratum potassae in aperitiva potione saepe exhibendum.

§. 47. Malagmata quoque ex emplastro cicutae et verbenae resolutionem maxime adjuvant, nec non inunctiones ex succo cicutae, aut alicujus unguenti quod resolvendi non solum sed etiam leniter extimulandi vim habeat (**). Ab his vero abstinendum dum adest in liene gravis dolor, et inflammatio: quo tempore fomenta matricariae, vel emplastra emollientia satius est applicare.

§. 48. Quod si postquam conveniens adhibita fuit medela, viribus universim assurgentibus, per-

(*) Limatura ferri porf. unc. j.
Cortex Winteranus pulv. ana
Extractum absynthi unc, ij. f. b. gran. vij.
dosis a ij. *ad* jv. *in die.*
vel etiam
Aethiopis martialis gr. xx.
Salis essentialis chinae
Resinae guajaci ana gr. xv.
cum extractu eupatorii q. s.
f. pilul. vi. gran.
dosis duo vel quat. in die.

(**) Muriatis ammoniacae drach. j. ss.
Camph. gr. xxxx.
Axungiae, vel potius
Unguenti nicotianae unc. j. ms.
frictiones fiant dosi primo gr. x.
et sensim augeatur juxta cutis sensibilitatem.

vicax remaneat tamen tumor atque durities lienis, aërem immutare ad multos menses, initio praesertim aestivae anni partis, et aquas minerales petere persuadendum est aegrotis. Hae multae sunt, praesertim in Hetruria, atque contra lienis obstructiones probatissimae, quales Montis catini (*a*) Lucenses (*b*), Pisarum (*c*), Clanceani (*d*) S. Cassiani (*e*), et aliae vel Senensis Provinciae (*), vel regni Neapolitani (**); et nonnullae Status Ecclesiastici (***). His vero uti dissimili modo pro dissimi-

(*a*) Bicchierai. Acque di Montecatini p. 243. nota 84.

(*b*) Moscheni. Acque minerali di Lucca.

(*c*) Franceschi. Igea dei Bagni.

(*d*) Barzellotti. Acque termali, e minerali di Chianciano, *Danni delle acque termali per le ostruzioni della milza*. (§. 51-56.) *Vantaggi di quelle minerali* §. 139.

(*e*) Bastiani. Terme Cassianensi Cap. V. §: 17.

(*) Aliae multae sunt aquae in Senensi superiori, et inferiori provincia, quarum externus, internusve usus utilis jamdiu probatus est in imi ventris obstructionibus, quas inter merito recensenda est acidula-thermalis Petiliani, quae majoris etiam utilitatis foret, si manus benefica illi admoveretur.

(**) Vide de aquis quae inveniuntur, in Neapolitano regno, et prope ipsam Partenopeam civitatem Andria. *Delle acque minerali.*

(***) Tales sunt aquae Bajae vulgo *Caje* Viterbi (Martelli. *Delle acque Caje*); illae nuncupatae *del Rofanello* prope Tolentinum (vide Moreschini. *Acque minerali del Rofanello*); Porrectanarum in ditione Bononiensi (*Instit. Scient. Bon.* T. VI. pag. 25): Et aliae sunt in superiori Italia. (Vide prae caeteris Vandelli. *De thermis agri Patavini*, et *Bibliothecam hydrographicam totius Europae*).

libus aegroti conditionibus, et aquae natura expedit; aliis enim ingerere multas, paucas aliis, et intermissis diebus magis prodest: aliquibus, inferne in alvum etiam excipere: plerisque percutientes, et quam maxime calidas ferre in sinistro hypocondrio, majori modo, minorive vi, atque tempore, prout diserte nuper exponebat Franceschi de usu, et convenientia aquarum mineralium Lucensium disserens (*a*). Aliquibus tandem quibus functiones exhalantium vasorum vivificare, retusam sensibilitatem nervorum excitare, catamenia revocare necesse erat, integras vel partiales immersiones in thermalibus profuere. Saluberrimum inde coelum optimum est iterum adire, equitare, grata, atque jucunda itinera modo pedibus metiri, modo rheda instituere, omni interdum posthabito pharmaco; nunquam vero praetermissa diaeta, de qua infra sermo erit. Dein ad patrios remeando lares calybis usum ad aliquod tempus resumere. Nullo alio certe modo pervicacem hunc morbum superare, aut depellere licet » quae enim in natura eximie possunt ac pollent, dicam cum Bacone, sunt ordo, prosecutio, series, vicissitudo artificiosa. »

§. 49. Quoniam vero pauperes improbos adeuntes labores in maritimis arvis splenitidi, praesertim chronicae, prae caeteris sunt obnoxii, quae per incuriam, vel malam curam in obstructionem migrat, nec semper fas est incolis aquas illas adire,

(*a*) Opera cit. part. 2.

(§. 48.), vel advenis domicilium immutare, sic istis, quomodo etiam aliis diaetam saltem constituere pro eorum facultate, et judicio nostro commodam, et aquarum mineralium efficaciam artificio imitari opus erit. Aquam in qua faber ferrarius saepe candens ferrum extinxisset lienem etiam in brutis animalibus coërcere affirmavit Celsus (*a*): vim, atque virtutem magnam contra obstructiones habere observavit inde Forestus (*b*). Nos autem, qui diversarum aquarum medicinalium principia noscimus unde utiles fiunt, ad pauperum lienosorum salutem facile parare possumus, et aqua supradicta efficaciores reddere; cum jam ferme demonstratum sit quae in obstructionibus prosunt aquae vim suam debere ferro cum terra aliqua combinato, et in acido quocumque pro parte soluto. Non qualibet vero aqua uti confert, sed e purissimis ad id, et e viventibus, si tales sint, seligere necessarium est.

§. 50. Actionem etiam inspersionis in sinistro hypocondrio percussionibus bipennulae juxta methodum a Vetere descriptam, et in incurabilium Neapolitano nosocomio satis probatam excitare possumus (*c*), exitu saepe feliciori, quam supradictis aquarum inspersionibus; longe feliciori etiam quam barbara illa curationis metho-

(*a*) Lib. IV. cap. 16.
(*b*) Loc. cit.
(*c*) Saggio sopra un nuovo, e sicuro metodo di curare le ostruzioni. Napoli 1792 del Dott. Pasquale Vetere.

do, applicatione nempe candentis ferri, aut moxae, nec non cauterii potassae fluidae, et setonis, etiamsi juxta BARTHEZI methodum appositus fuerit. Quibus omnibus, praeter ustionem, qua minime usus sum, curas nullas feliciter unquam absolvere potui; eo quod, ni fallor, vitali incitamento assurgendi potestatem (§. 39.) pari et aequabili modo, ac percussiones bipennulae in liene excitare valent, illae huic visceri minime comparare possint.

§. 51. Oportet autem illas bipennulae percussiones (§. 50.) ab ipsius medici manibus fieri, quia aliquando periculo non caret operatio; cavendumque maxime ne inflammatio adsit, aut per illas rursus excitetur. Quapropter necesse fuit aliquando venam secare antequam manus bipennulae admoveretur; interdum etiam ad aliquot dies intermittere. Caeterum hac methodo nonnullos ego, quos inter lienosum, et asciticum, eo ferme in statu quo suum aegrotum esse narravit supradictus Auctor (a), Petiliani nosocomium ingressum anno 1819, feliciter curare potui; et alios ab inveteratis obstructionibus saepe liberasse narrabant mihi DEL-CHIAPPA in Ticinensi Acedemia Clinicae Professor, et praedictus Doctor CARTONI. Tres immo curationes ab isto feliciter peractas, quas modo suis literis dedit, ad pauperum non solum, sed omnium lienosorum utilitatem, lubenter suis verbis referam.

(a) Osserv. VIII. opera cit.

All' Eccell.mo Sig.
Dottore Stanislao Grottanelli
suo pregiatissimo amico
il Dottor Uberto Cartoni
salute.

Dopo il discorso da noi tenuto sul metodo proposto dal Dott. Vetere nella cura delle inveterate ostruzioni della milza, e sentito con sodisfazione che ancor Lei lo ha trovato molto utile nella sua pratica; spero che gradirà le tre istorie di guarigioni per tal mezzo operate, come gradì le altre due sopra la splenitide rimesseli nello scorso inverno.

Queste, che scelgo tra le altre, provano a mio credere, la decisa utilità di questa pratica; e sarebbe desiderabile, che i Medici di Maremma abbracciassero un tal metodo, perchè facile, di pronta efficacia, ed economico.

Più volte io l'ho suggerito in casi convenienti; ma il nome di scure spaventa il paziente, e trattiene il professore che ne ignora l'importanza, ed il meccanismo col quale procura la guarigione. Sono sicuro che nell'opera, che ella va a pubblicare si occuperà di quest' articolo assai meritevole di essere illustrato; e servirà così di eccitamento,

e norma per i medici che sono circondati da numerose malattie di questo genere.

Il sig. Dott. PIZZETTI *il seniore, di cui con tutta la compiacenza rammento l'amicizia e la vasta estensione di cognizioni nella pratica medica, è il solo, per quanto sappia, che abbia un tempo con eguale felice successo messo in uso il metodo di* VETERE *in alcuni abitatori delle Grossetane maremme, insigni ostruzionari di milza, e di fegato.*

Se queste istorie gli sembrassero troppo succiente, come che scritte in fretta, lo condoni alla circostanza di trovarmi molto occupato e nell'interno del paese, ed in passeggiate lunghe, ed incomode. Esse contengono però la verità e quando ella abbia la sofferenza di leggerle potrà supplire alla difettosa descrizione dei sintomi morbosi, che, per esserli noti, sono stati omessi per brevità: nè altro ho aggiunto a quello che scrissi in allora.

Le rinnuovo i sentimenti di perfetta stima ed affetto, con i quali mi pregio di esserle sinceramente unito.

S. Fiora 30 *Maggio* 1821.

» *Cura I.* A. B. di Firenze, in età di circa cin-
» quant' anni, ma domiciliato da molto tempo
» in S. Fiora, dedito all'intemperanze del vino,
» e della crapula, obbligato dalla qualità di mer-
» ciajo ambulante a frequentare i più bassi, e
» malsani paesi della maremma Senese, contrasse
» in più estive stagioni ostinate febbri periodiche
» accompagnate da gravi ostruzioni di fegato, e

» di milza specialmente; cagionate, mantenute,
» ed aumentate forse da ricorrenti croniche in-
» fiammazioni di quei visceri, che ridussero l'in-
» felice merciajo in una morbosa situazione da
» meritare l'impegno di un medico sensibile.

» Privo vedendolo infatti di mezzi economici
» da sollevare i propri mali, minacciato da ra-
» pidi progressi dell'ascite, già manifestata, con
» una febbre continua remittente nell'ore ve-
» spertine, con vaste ostruzioni di milza, e di
» fegato; tinto d'itterico colore; afflitto dalla mag-
» giore prostrazione di forze, e con depravazione
« di tutte le potenze assimilatrici, fu allora che
« m'indussi, come mezzo economico, e sollecito
» a sottoporre il B.... al metodo di Vetere.

» Preparata la scure, e ridotta sotto i miei occhi
» a quella forma, e taglio necessario, principiai
» nell'Agosto del 1794, a dirigere accuratamente
» sulla regione della milza i movimenti della
» scure, percossa da proporzionato martello con
» quella fiducia, che m'inspirava il ragionato
» metodo del medico Napoletano, e senza o-
» mettere quanto egli prescrive da prendersi in-
» ternamente.

» Terminata di scorrere con circa duecento col-
» pi la superficie della milza osservai con mara-
» viglia, e piacere, che il B. circa mezz'ora dopo
» fu obbligato rendere una quantità insolita di
» non poche libbre di orina di colore giallo-scu-
» ro, assai grave, e che in brevi momenti andò
» a depositare un sedimento laterizio, ed abbon-

» dante. Nella mattina seguente ripetei l'opera-
» zione, estendendo con maggiore riguardo i
» colpi anche sulla regione del fegato, giacchè le
» copiose precedenti, e quasi sempre uniformi
» evacuazioni orinose avevano detumefatto il
» basso ventre, e posto il viscere destro più allo
» scoperto. Proseguii anche per circa diciotto, o
» venti giorni l'indicata operazione con sì grandi
» vantaggi, che ben presto si dileguò la febbre;
» il fegato, e la milza tornarono nel suo stato na-
» turale, ma non disperso affatto il colore itteri-
» co, e tutte l'operazioni chilopojetiche ripresero
» attività, e vigore in modo, che nello spazio di
» circa un mese A. B. fu in grado di tornare
» ai soliti giri commerciali, non senza grande sor-
» presa di chi avanti tale epoca lo aveva osservato,
» e veduto.

» *Cura II.* Il Rev. Sig. L. P. Arciprete di Sa-
« turnia, città, che non conserva dell' antico suo
» splendore, che languidi avanzi, ora assai spo-
» polata, e sede di tutte le malattie che regnano
« nei paesi insalubri, e paludosi, venne in Santa
» Fiora nel mese di Luglio del 1796 a sottoporsi
» alla mia medica direzione con un corredo di
» malattie, frutto del permanente soggiorno nelle
» più basse maremme.

» Una vernice giallo-dorata, che copriva tutta
» la superficie della di lui macchina faceva age-
» volmente comprendere quale doveva essere lo
» stato del fegato, e della milza. Sebbene fosse
» egli nell'età di quarantacinque anni, e dotato

» dalla natura di forte temperamento, trovai in
» quel momento così alterata la di lui fisica costi-
» tuzione per i ripetuti attacchi di febbri perio-
» diche, e forse ancora per croniche, e antiche
» infiammazioni dei visceri abdominali, che di-
» sperai della di lui guarigione. Nondimeno mi
» accinsi a sottoporlo al metodo di VETERE. Pre-
» messo per due mattine l'uso della Tintura acquo-
» sa di rabarbaro posi in pratica la scure, aumen-
» tando però la dose del nitrato di potassa
» prescritta dal Medico Napoletano, onde riattiva-
» re l'energìa del sistema renale, poichè l'orine
» nel surriferito Ecclesiastico erano molto scar-
» se, e crude. Sebbene non fossero così pronti,
» e felici, come nel primo caso, i resultati delle
» prime operazioni, ebbi la sodisfazione nel terzo,
» e quarto giorno di vedere fluire l'orine in mag-
» giore quantità con abbondante sedimento lateri-
» zio assai scuro.

» Il polso, che in addietro era tardo, e picco-
» lo cominciò ad elevarsi, si rianimarono le fun-
» zioni del ventricolo, la milza si fece di minor
» volume, e più molle, il fegato si presentò più
» cedevole, e piccolo; il color della pelle, e quello
» della sclerotica a divenire più chiaro, e tutti in
» somma i sintomi morbosi a diminuire in modo
» da fare sperare non molto lontana la guarigione.
» Infatti insistendo nelle percosse della scure, la-
» sciandola però inoperosa qualche mattina, per
» meglio osservarne gli effetti, che riscontrai
» sempre uniformi ed utilissimi. Dopo circa venti-

» cinque giorni di cura, eseguita scrupolosamen-
» te secondo il clinico di Napoli, potei contare
» sul ristabilimento quasi totale della salute del-
» l'indicato Arciprete. In questo tempo la milza
» riprese la sua ordinaria grandezza, ma il fegato
» si mantenne un quinto maggiore del suo natu-
» ral volume; e non affatto cancellata la tinta
» itterica dal di lui volto.

» Per ottenere una guarigione completa, feci in
» seguito eseguire al mio paziente una cura atta a
» distruggere affatto gli impegni del fegato, non
» superati intieramente col metodo del Napole-
» tano. I marziali, i saponacei, ed alcune sostanze
» amare formarono la base di questa medicatura,
» che bastò per ridonare la vita ad un'uomo qua-
» si perduto nella civile società.

» *Cura III*. L. G. di Montiano, luogo non mol-
» to salubre, e compreso nelle maremme Grosseta-
» ne, campagnolo di professione, di non troppo
» forte costituzione, e dell'età di quarant'anni ven-
» ne a S. Fiora sotto la mia cura nell'Agosto del
» 1797, con tutta quella riunione di sintomi mor-
» bosi, che si riscontrano in quelli che hanno sof-
» ferto lunghi, e frequenti corsi di periodiche feb-
» bri, cioè inveterate ostruzioni di fegato, e di
» milza particolarmente. Una quartana, che per-
» seguitò per quindici mesi l'infelice maremmano
» favorì talmente l'aumento di volume della milza
» e del fegato, che sembrava a colpo d'occhio di
» vedere un ascitico ambulante.

» Era abbattuto di forze, cachettico, con una

» tinta giallo-pallida, e ancora afflitto da una
» febbre irregolare ed anomala, quando mi si pre-
» sentò ai primi del surriferito mese di agosto.
» Dall'istoria, che egli mi fece dei suoi mali pas-
» sati, credei di rilevare che in diverse epoche
» aveva sofferto non pochi attacchi di cronica
» splenitide, e forse anche di epatitide. Col tatto
» del bassoventre si presentava una milza cresciu-
» ta assai di consistenza e di mole, in modo che
» la di lei inferiore estremità copriva la metà della
» vessica orinaria. Il fegato non era tanto impe-
» gnato, ma duro ed un poco dolente. Messo in
» pratica senza alcuna preparazione curativa il
» metodo di Vetere, ottenni nello spazio di cir-
» ca un mese la di lui completa guarigione, cor-
» rispondendo in tutta l'estensione gli effetti, e
» l'andamento osservati nelle prime due istorie.
» L.... G.... avendo sofferta una nuova sple-
» nitide lenta, nella primavera dell'anno susse-
» guente, tornò ad aumentarsi in esso la milza,
» ed a molestarlo una febbre intermittente, che
» debellata rimase nell'aprile coi soli rabarbarati.
» Fu da me consigliato allora a portarsi nel luglio
» seguente a passare la nostra acqua acidula mi-
» nerale. Seguì egli il mio consiglio, e tornò a
» godere una salute completa che sarebbe stata
» più stabile, e permanente, se il G. avesse ab-
» bandonato il patrio soggiorno, o cambiato al-
» manco il suo metodo di vivere.»

§. 52. Ab injudicata autem splenitide modo brevi modo longiori temporis intervallo, prout stimuli copia, et vitalis, reactio major, minorve fuerit; non semper illa enascitur perturbatio ut viscus obduretur, sed interdum parenchymatosa substantia corrumpitur, et lente marcescit, aut abscessus efformantur in aliqua visceris parte, quorum materiae rupturam membranae qua lien succingitur producunt, aut totum lienem in suculum puris convertunt; et ipsa lienis obduratio saepe ascitem, identidem phthisim, frequentissime vero scorbutum atque marasmum inducit.

Morbosas hasce transitiones ut melius notemus, ne pigeat ad illorum historias descendere, quarum nonnullae ne desperemus, aliae ne praesumamus, nec facilem promittamus curationem edoceant.

ARTICULUS IV.

Splenitidis cum ruptura abscessus in ventris cavitate historiae.

Historia IX.

§. 53. Neque labori, neque temperantiae deditus, neque sedentariam commodamve vitam agens; sed modo longis itineribus fracto, modo desidia hebetato corpore utens Franciscus Cassius *Marrichi* prope Aquipendium vivebat. Temperamento sanguineo praeditus fuerat, et corpore venusto: sed nondum prima exacta adolescentia impura

venere non semel foedato. Is quarto aetatis peracto lustro, messis tempore anni 1810, maritimam Senensium oram cum petiisset, in patriam inde revertens tertiana duplici correptus est. Splen eodem tempore saepe dolere, et intumescere coepit. cremorem tartari, et rhabarbarum, in eo morbo semel, et iterum deglutivit: decoctiones inde teucrii chamedris (*), et centaurii minoris ad multos dies sorbuit. Febri tandem liberatus est: detumuit etiam paulatim splen: ita ut, vere sequentis anni inchoato, naturalem suam magnitudinem aequaret, et aeger suam vivendi normam ex integro profiteri potuerit. Corripitur interim, Tuderto Aquipendium revertens, logumque post iter, pluvioso coelo pedibus velociter emensus, febri specie catarrhali, typo quotidianae intermittentis. quartam circa diem splen acriter dolere, et intumescere iterum coepit. Tunc nausea, vomendi nisus, sinistri humeris dolor, tussicula, sitis multa exsurgunt. Rhabarbaro purgatus est, et fomentis matricariae lienis dolor eidem tolerabilis redditus. Volumen tamen non imminuitur; nec ulla in lotio mutatio observata est. Post decimam quartam diem surgere, domoque prodire potuit aut potius voluit aegrotus. Febris quotidie aderat sed valde mitis, accessu vespertino manuum pedumque incalescentia: rubor naturali major tunc erat in genis: sudores graveolentes patiebatur per noctem, et molestos, quamvis intermissos, in tumenti liene

(*) Vulgo *Querciuola*.

dolores. Medelam omnem recusabat tamen, atque diaetam; vino immo aliquando indulgebat. Quadam interim mane, post mensem circa, sedens is publica in platea cachinnavit rusticum juvenem: utrique inde petierunt se convitiis. Aegrotans, calcibus in ventre responso accepto, illico sternitur, et statim color qualis est mortuorum per illius corpus diffusus est. Domum asportatur sensibus destitutus, lectoque reponitur. Pulsuum motus vix excipiebantur. Post quadrantem circiter horae, vires quantum satis ut loqueretur nactus, in lienis regione ictus tempore infandum substinuisse dolorem, et modo gravativum in hypogastro, atque suffocatione minitari, sublimes inter anhelitus, affirmavit. Abdomen tunc nos respicientes a splene gibbum amplius non videmus, aegrumque nullibi, nisi supine jacere posse, pectore maxime elevato. Viginti circiter postquam vapulavit elapsis horis, pellis ejus lenticularibus maculis, ac s. scorbuto, vel peticulis laborasset, undique cooperitur. Mingere etiam eodem tempore coepit tam grave lotium, ut vix e corpore elicitum, alvinariá puerorum mentiri posset. Hic fuit character urinae ad tres circiter hebdomadas, quibus elapsis omnis dolor ex abdomine, et febris ex corpore evanuit, nullo ferme artis auxilio. Ipsum juvenem, septem circiter post annos, bene valentem, et bene semper se habuisse referentem, Centumcellis reperi, et amicis meis itineris comitibus, quasi tabulam e naufragio ereptam, volupe summo monstravi.

Historia X.

§. 54. Sextadecima die octobris anni 1820. Petiliani nosocomium ingressa est Elisabeth *Mazzi*, puellula decimum agens aetatis annum, orphana, summaque egestate laborans, e Manciani oppido, in cacumine montis sito, duodecim millia passuum, a Petiliano, inter occidentem et austrum. Hujus incolae si aliquanto praestantiori aere quam Petilianenses, et maritimorum plerique fruuntur, pejori tamen premuntur coelo in arvis, deterioque, et rara utuntur acqua.

Haec itaque puella, pertinacibus febribus vexata, ex quo, dum messis foret, spicis a messoribus relictis colligendis dederat operam, macie ferme consumpta videbatur. Tumebat abdomen, quod non ita pridem sibi molestum evasisse affirmabat. A tumoris forma, corporis habitu, vultusque lineamentis ascitem existimavi. Interim comperi lienem ex hypocondrio sinistro in dexterum se protendisse, et umbilici regionem magnitudine praetergressum fore; quam maxime quoque intus dolere etiam exiguo illo, quo quiescere poterat, intervallo. Febris vespertina aderat multa cum siti, vultus incalescentia, et per noctem insomnis erat. Tussis valde rara, sed ita ferox, ut ea superveniente membris omnibus quateretur. Nullus tamen excreatus. Alvus modo adstricta; interdum etiam soluta: lotium tenue ut plurimum erat. Manciani dum degerat, cibos gustare posse narra-

bat, prout fecit quoque in nosocomio primis diebus: at postea ab omni cibo coepit abhorrere. Rhabarbarum variis dosibus in pilulis reductum, vel syrupo aperitivo admixtum quotidie ferme exhibui puellae, nisi alvi fluxus prohibuisset; et calmantibus aliquando remediis uti opus fuit. Emplastrum farinae hordei, et verbenae officinalis dolentem supra lienis regionem ponere jussi, victuque modico, et valde bono enutriri. At omnia haec nil conferebant; immota erat morbi vis, atque aegrotantis talis erat jactatio, ut etiam ad narcotica confugere coactus fuerim. Si interdum ab agitatione requiem quaereret se sistebat in lecto nitens genibus cubitisque, renibus sursum versis, prout faciunt illi qui hydrocardite laborant. Circa vigesimam sextam mensis diem magis magisque intus excruciari clamabat, et miserrime de liene conquerens, lacrymansque, dum somnus fugeret ex adstantium oculis, fletum eliciebat. Postridie vero repente, nec opinato dolorum inducias obtinuit, et ingens tumor, quem in sinistro hypocondrio gerebat, ferme evanuit; et jacere postea in utroque latere eidem licuit. Ex eo pectus fricare, brachia, et crura cum alcool jussi. Noctu dormivit satis. Altera die urina sedimentum grave praetulit: gustare etiam potuit. At sui immemor periculi, lectumque perosa surrexit, ea unice tecta veste, qua induuntur nosocomiorum infirmi, ut prope custodis focum sederet, asserens se a dolore, et valetudine vacuam. Mitissima erat reapse illius febris, cum

puellam extra cubiculum reperi; ut cubile tamen repeteret imperavi, his namque motibus nisibusque valde inimicus tunc erat aër, quia austrini, perspirationem cohibentes, flabant, et membrorum tegumen a refrigeratione defendere illam non poterat. Impudentiae suae, ne dicam nosocomii custodis citissime poenas dedit miserrima. Per noctem ejusdem diei abdomen valde intumuit, dyspnoea successit, et mane diei trigesimae octobris, decimaequartae postquam in xenodochio cooptata fuerat, suffocationis sensu brevem explevit aetatem.

§. 55. Pridie kal. novembris una cum collega meo *Rutilio* Palazzuoli Autopsia cadaveris instituta fuit. Nulla menda exterius in corpore apparuit, praeter tumorem abdominis valde distenti, maciem in artubus, facie, et pectore. Abdominis musculi diligentissime a peritoneo separatis, vasa multa sanguifera hujus membranae luce naturali majore praedita reperimus; ipsam vero membranam ferme erysipelaceam. Subter illam serosum, et limpidum humorem videre licebat, qui effusus fuit ab incisione peritonei, et duarum amplius librarum pondus aequasse judicavimus. Humor in pelvi contentus non ejusdem tenuitatis erat ac ille qui effusus jam fuerat; sed partim concretus ad instar gelatinae, et in ima pelvi icorosus, et illi ipsi ferme similis, quem alias ex lienis externa suppuratione manare compereram (*vide hist.* XI). Hujusmodi humore ipsam splenis superficiem obtectam conspexi-

mus, et eidem adhaerentem, etiamtum cum ex aliis partibus, viscerum ablutione, propulsus facile fuerat. Jecur, integrum repertum, etsi mole auctum, seposuimus ut melius consideraremus in situ quae jam apparuerant lienis alterationes. Tunc intestini colon portionem illam, quae pone, et infra lienem in acutum angulum assurgit, firmiter adhaerentem lieni videre datum fuit: eidem visceri paullum etiam adhaerere coecum ventriculi fundum, et ipsum lienem postica ex facie conjunxisse se posteriori lamine peritonei, quae vertebrali columnae respondet. Lien, cujus praesens longitudo fuit digitorum tranversorum novem, maxima latitudo digitorum quinque, talis apparuit qualem exprimit archetypum, quod asservatur in anatomica collectione partium pathologicarum ditissima I. R. Academiae Senarum; suppuratus nempe in antica, et inferiori parte, magno cum vulnere, et parenchymatis destructione, ad posticam usque visceris membranam. Integra visceris pars obducta erat tenacissimo glutine, vel pseudo-membrana albi coloris ubi tenuis, flava ubi crassa. Diaphragmatis partem, quae superest lieni inflammatio tenebat. Pancreas ferme cartilagineus, albi coloris, et naturali minor; patens vero in illo ductus Virsungianus: obstructae pleraeque mesenterii glandulae. Nil notatu dignum in stomacho, et intestinis, exceptis iis quae diximus de colon: in renibus pariter, et vesica integritas: omentum vero ferme consumptum.

Diductis thoracis costis, utrosque pulmones modica lymphae quantitate circumdatos reperimus; sinistrum insuper inflammatum in parte ima, et tuberculis nonnullis pure repletis conspersum. Nil morbosi in pericardio et corde. Caput secatum non fuit.

Abscessus splenis, et rupturae in cavo abdominis casus alius.

§. 56. Primae hic positae historiae (§. 53.) casum ferme similem sibi observare contigisse patefecit mihi Cl. Barzellotti, cujus haec summa est.

Antonius *Colombi* gracili corporis constitutione praeditus, cujus splen modo cum dolore valde intumuerat, eo devenerat valetudinis, ut jam ad phthisim pronus rite judicaretur. Quadam die, in area tritici prope oppidum inferioris Senarum provinciae vulgo Monterotondo, dum staret ab indomito equo satis valido pedis ictu in liene percutitur, et resupino corpore ejectus, frigido sudore undique perfunditur, et deliquium passus est. Paulo postquam ab amicis domum reductus fuit, de gravi, et acuto dolore in lienis regione questus est. Febris adfuit, et Chirurgus de inflammatione conjiciens venam secuit. Alvus interim sponte, et abundanter soluta est. Lotium deinde subcruentum minxit gravi cum subsidentia per multos dies. Expectatio habuit exitum

optabilem; lienis nempe ac, totius corporis integra valetudo in hominem iterum venit.

Abscessus splenis, et materiae effusionis in intestino colon casus (*).

§. 57. Cuidam sexagenario praesbytero meloena laboranti dum medebatur probatissimus clinicae Professor lienem in illo durum, magnum factum, et dolentem reperit. Interim, cum convalesceret sacerdos, phaseolos, et castanearum pultem comedere voluit. Eo die male se habuit, sub noctem dysuriam primo, stranguriam inde, tandem iscuriam passus est. Octodecim post horas, cum ad salutem nulla medela proficeret, syringha lotium educere necesse fuit. Ad annum inde et amplius bene valere visus est homo. Post tale tempus mitem, et obtusum dolorem sinistro sub hypocondrio, dyspepsiam, et remittentem febrem pati coepit, quae primum tertianae duplicis, inde quotidiane, et lentae, seu haecticae characterem praetulit. Hirudines podici, mites purgationes, potus refrigerantes, et clysteres adversum hunc morbum tunc temporis adhibiti fuere. Inde, post multos dies, solutam quamdam substantiam non graveolentem, et *cioccolactis* ferme colorem ac consistentiam oculis praebentem per alvum egerere coepit. Attenuatum

(*) Communicavit D. *Aloysius* Morelli in Pisana Universitate P. Clinicae Professor.

poenitus, et longum per morbum maxime infirmatum cum paulo post factum esset corpus, mortuus est.

In cadaveris sectione externa lienis membrana intestino colon transverso, eo nempe loco ubi is flectitur, adhaerens reperta fuit. Ipse autem lien vacuae vesicae similis erat. Substantiam visceris per foramen, quod extabat in centro adhaerentiae membranae cum intestino colon abivisse apparuit.

Mantissa.

§. 58. Postquam iis, qui in Assolantii, aut Pembortonii sententiam ibant, dubitantibus scilicet an parenchyma lienis, phlegmonis reapse, et suppurationis esset capax (*a*), simplicis splenitidis (§. 5. 6. 7), gravissimae lienis inflammationis (§. 15. 16), totiusque visceris phlegmonis (§. 18) historias afferendo cumulatissime satisfecisse arbritatus sum; ut rem conficerem, lienis suppurationis casus maxime faciendos exhibui modo; et alios inde adijciam comprobantes lienem etiam cancrena corripi potuisse. Sed quoniam ante ultimas narratas historias opus fuit chronicae splenitidis nonnullas in medium adducere; tempus est de ejusdem genesi atque natura aliquid pro-

(*a*) Recherches sur la râte par *Assolant*. Paris 1801. » Trattato pratico di alcune malattie dei visceri dell' addome di C. R. Pemberton.

ferre modo, cum haec sit praesertim illa, cui lienis suppuratio, cancrena, et alii morbi succedunt.

Cum igitur nocivae potentiae (§. 38) vim suam paulatim in liene explicaverint, saepe remiserint, aut vitale incitamentum, qualibet de causa, debilem, interrumptamque actionem exercuerit, vel nimium ab illis jam fuerit perfractum, tunc symptomata splenitidis moderata, progressus lenti, et obscuri efficiuntur. Cum ipsis febris non semper adest, vel quodammodo imperceptibilis existit, nullum ferme inflammatoriae characterem praeseferens. Cursus talis affectionis, qui sic protrahitur, et quanti faciendus sit, nisi post multum temporis dignoscitur, quomodo in nostris aegrotis vidimus (§. 53. 54. 56. 57), ille, est quem rite chronicam splenitidem dicimus. At non omnibus splenitis, etiam in maritimis ex acuta fit chronica, aut chronicae characteribus, indiscriminatim omnibus lienosis, ex initio supervenit. Illi quos lassa solidorum compage natura plasmavit, quorumque physionomiam Cheyne pinxit (*a*), et feliciori etiam modo Dumas (*b*), prae caeteris chronica corripiuntur splenitide, sicuti chronicis potius quam acutis morbis sunt generatim, et ubique obnoxii.

§. 59. Nullum est praetera viscus in corpore, quod diutius subdole aegrotet, pathologicumque

(*a*) De infirma sanitate tuenda. Londini 1726. pag 200.
(*b*) Dottrina generale delle malattie croniche T. 1.

statum, absque manifesto detrimento servet quam lien. Hinc fit, ut nisi per quacumque de causa additum stimulum, vel per novum supervenientem morbum nocentium potentiarum vis, incitamentumve vitale excitetur, splenitis non assurgat, et finem qualemcumque maturet, vel enitatur attingere. Hinc etiam lienis obstructio, quae effectus erat praegressae splenitidis, haud raro fit splenitidis causa, rursus et occasio.

§. 60. Hujus rei causa, ni fallor, symptomaticam ferme dixerunt semper splenitidem, quae in hypersthenica diathesi, vel alius visceris morbo prodivit (§. 18), quaeque jamdiu forsan extiterat in aegroto, et concomitantia, vel complicatio potius morbi dici debuisset. Eadem forsan de causa chronicam illam splenitidem, in qua nocens potestas non semper subdolam moliebatur phlogosim, splenalgiam nuncupavere, eo quod, ut reor, praeter dolorem caetera splenitidis symptomata forsan latuere; vel raro, et seorsim inobservata prodiderant, etiamtumve neglecta, tumorque deficeret. Quod quidem splenalgiae nomen inopportunum semper putavi, quia neque morbum, neque ipsius causam significat. Dolores namque morborum classes vel species componere posse quis credet, cum dolor nil aliud sit nisi modus sentiendi praesentem actionem nocentium potentiarum, et effectus persaepe chronicae phlogosis per qualemcumque stimulum excitatae? Cadaverum autopsiis consona est opinio.

§ 61. Sed si aliquis splenalgiam reapse mor-

bum esse adhuc existimet HYPPOCRATEM statim adeamus oportet, unde ideam morbi haurire liceat. » Eudemus, inquit, splenem vehementer » dolebat. Imperarunt ipsi medici, ut multum » ederet, et vinum biberet modicum. Non mutatum est quicquam. Vena secta est. Cibos, ac potus parce sumpsit :deambulationes fecit sensim » augmento facto. Vinum bibit nigrum, tenue; » sanatus est (*a*): nempe postquam venae sectione, et abstinentia sublata est doloris causa, quae erat, ni fallor, chronica inflammatio lienis.

§. 62. Hic itaque perpendere modo oportet discrimen, quod intercedit acutam inter, et chronicam splenitidem. Brevi tempore vim omnem suam illa explodit; ac symptomata propria, et phaenomena aliquando inflammationum vicinarum partium, acervatim quodammodo producit, vitamque cominus minitatur: haec autem eminus; paulatim enim conflatur, vel remisso cursu modo unum, modo alterum symptoma profert, et mutabilem saepe cursum praebeat morbi, donec obstructionem, aut duritiem induxerit, quae a nullo alio elemento, quam a chronica inflammatione derivare posse videtur. Incitamentum vitalis reactionis in acuta splenitide celerrimam visceris mutationem inducit; in chronica nocentium potentiarum, ut plurimum non respondet actioni, vel haec debilis est, et intermissa. Resolutio salutaris ante decimum quartam

(*a*) De morbis popularibus lib. VII.

diem, aut cancraena, vel etiam suppuratio finem ponit primae; secundae durities, quae scirrhum mentiri potest, lenti profundique abscessus, totiusque visceris marcor. Hydrops utrique interdum supervenit. Peritonitis, gastritis, diaphragmitis, pleuritis, hepatitis, angiosthenica febris comitantur, vel cito sequuntur acutam; chronicam vero comitantur febres gastricae, vel catarrhales cujuscumque periodi; et alterationes solidorum ac fluidorum corporis, speciatim vero totius lienis structurae, ac illius functionis sequuntur. Hinc digestionis depravationes; somnus laborem faciens; nutritionis defectus in toto corporis ambitu; pulmonum, praecipue in juvenibus, vitia; lymphaticorum systematis alteratio in qualibet aetate; sanguinisque vitiata crasis, praesertim cum ad morbos haereditaria adfuit dispositio. Hinc etiam tusses obstinatae, phthisis, hydrops, icterus, ulcera in pedibus pervicacissima, scorbutus atque marasmus.

§. 63. Cum igitur artis culpa, ut evenire potest in acuta inflammatione, vel errore naturae, puta abnormem epistaxim, vel etiam peculiaris idiosyncrasiae causa, defecit vitali vi inflammationis resolvendae potestas, vel occasio, et vasa a quibus materia, quae inflammationis tempore inter cellularem colligitur, resorbenda fuerat, aliqua indispositione laborent; tunc lympha ibidem collecta, aut intercapedines vasorum visceris coagulata caloris excessu, vel longa simul statione puris characterem induit, et abscessum constituit.

Id autem nec tam facile evenit in liene, nec eodem temporis spatio, quo in aliis visceribus, veluti in pulmonibus, et jecure; longiori immo tempore, caeteris paribus, abscessus in liene semper confici mihi visus fuit, pariter ac degeneratio illius membranae; unde chronicam potius quam acutam inflammationem sequi dicebam (§. 62), et idem abscessus quin in aliqua inde visceris parte suppurationem faciat, totum parenchyma texturamque visceris ante aegrotantis mortem destruere potest, ut alias videre contigit (§. 57). Ruptura ergo splenis abscessus, quoad viscus peradmodum utilis semper est reputanda, cum absque illa tota lienis substantia corrumpatur; sed si vasa absorbentia ad resumptionem effusi humoris minus idonea facta fuerint, mors certo certius expectanda tamen erit.

§. 64. Materies autem in liene collecta non tam cito foras elicitur; nec facile rumpitur lienis abscessus ac in aliis visceribus, propter crassitiem et filamenta membranae quibus viscus succingitur, ac penetratur. Hinc fit ut nisi casu rumpatur abscessus, quomodo illis in juvenibus (§. 53.56), vel arte, cum petit externam partem abdominis, sero nimis, ut in praesbytero supra memorato (§. 57), persaepe evacuetur sanies; sed alias, cum salutis etiam spes aderat (§. 54), nec extra opportunitatem, ut ita dicam, suppuratio evenerat, in summo vitae discrimine, ob lienis sublatam integritatem, diu erit aegrotus. Signa igitur quibus deprehendere possumus abscessus formationem in liene primum lustrare oportet.

§. 65. Si decimam quartam diem attigerit splenitis acuta nulla manifesta crisi, et lien jam magnus factus non detumescat; febris interim, quamvis mitis effecta, absque ullo ut plurimum capitis dolore, vespertinis horis, vel per noctem superveniat, ac exarcebetur; visceris dolor et calor adsint, etsi hi leviores facti aegroto videantur: gustare si gestiat idem, et a modico quoque cibo, pro utilitate molestiam ferat in stomacho, vel calor in volis manuum et plantis pedum exsurgat: corpus interim attenuetur: tussicula, ac sitis individua comes sit noctis, et identidem diei: color plumbeus in ore; pallida fere semper sit facies: alvus modo adstricta, modo soluta; huic homini certe pus colligitur in liene. Ii, quibus abscessus formatur in concava lienis parte dextrorsum jacere non possunt; e contra quibus in convexa. Quibus in postica visceris parte fit puris collectio jacere praeamant ut puella supra memorata jacebat (§. 54).

§. 62. At si per chronicam affectionem pus in liene colligatur non semper signa illa conjunctim, neque eo ordine apparent in aegrotis: pleraque tamen observantur. Tumor lienis plus minusve habet voluminis, et dysponea ferme semper vexantur hi: quandoque acuto corripiuntur in splene dolore, si inflammatio ad aliam visceris partem propagetur: summo labore incedunt: oedema apparet iisdem in tharsis; tandem febris quotidiana vel haectica donec suppuratio fiat. Sed mors aliquando huic morbo finem imponit

priusquam abscessus rumpatur, quod nuperrime in Suanensi muliere iterum observare mihi datum fuit.

§. 67. Quolibet autem tempore abscessus vacuetur in abdominis cavitate periculo quidem non vacat; nec poterit certe ars modificatione ulla imitari impulsionem, puta percussionibus bipennulae (§. 50), illam inquam, impulsionem, quae casu alias (§. 53. 56) feliciter cessit, etsi abscessus sedes, atque magnitudo dignoscantur, quod ferme impossibile (*); quae etiam morbosae conditiones lateant in humoribus, in solidis, aliisque corporis visceribus; quales quantaeque functiones perturbatae; quae adsint vitia haereditaria, vel accidentalia, qualis scorbutica diathesis, celtica lues, scrophulae, etc. At cum exempla felicis exitus non desint, eo facilius expectanda bona valetudo, quo minus vires perfractae, et quo partialis fuit materiei in liene collectio effusionis tempore. Sanitas enim tunc reduci potest resumptione primum materiae; et si hujus inde expulsiones per urinam, aut aliquod exanthema (§. 7. 53.), illa nempe via qua fit resolutio acutae quoque splenitidis, optime a natura peragantur. Sed si profundus fuit in liene abscessus, aegroti salus desperanda potius, quam expectanda.

(*) Quoad abscessus sedem aliquod eruere tamen signum licebit ex consideratione sedis praegressae inflammationis, si dolore fixo sese manifestaverit; et aliquod signum circa abscessus magnitudinem ex temporis periodo quod intercessit, et ex ejusdem inflammationis intensitate.

§. 68. Cum autem in splenitide lienis membrana adhaesit stomacho, intestinis, diaphragmati, vel peritonaeo, et prope illam abscessus factus fuit: tunc ibidem ruptura identidem reperitur. In stomacho si evacuetur sanies (quod sibi contigisse decem ab hinc annis lienosus Thomas *Capitani* e Petiliano, cui nuper medebar, narrabat mihi, et affirmabant cognati ejus) (*) vomitu purulento cruore permixto, et ferme similibus dejectionibus egeritur (*a*). Qui norunt tamen fatales exitus disruptae parietis stomachi, quae inde hanc rupturam consequi possint mala satis dignoscent.

§. 69. Idem pus in quo conversa fuit splenis substantia cum intestino colon adhaesit lien, atque ab illo utraque paries fuit erosa, diarrhoea ejicitur (§. 57) et hic est fluxus, et non alius, quem rite splenicum nuncupandum censeo; et quamvis aeger in speciali illo casu perierit, attamen cum alias per similem fluxum, pure in hepate collecto, hac via alium feliciter naturae viribus liberatum cognoverim, nisi aliae accesserint graves morbosae conditiones, aut omnis, vel maxima pars paren-

(*) Is postquam mortis ostium pulsavit, et per tres menses tabicus reputatus fuit, ad salutem, quamvis non firmam, remeavit tamen, et per multos annos labori operam dare potuit.

(*a*) Rupturam abscessus lienis in stomachum vide etiam in *Journal de medecine, et chirurgie etc. de Paris mois de Fevrier an.* 1790.

chymatis corruptione teneatur, ut in casu (§. 57.), necessarie lethalis esse non debet.

§. 70. Vomica, quae extabat in superiori lienis parte, eructat aliquando saniem etiam in pectore, sternitque viam tabi, quam practici splenicam dicunt, quaeque alia cum phthisis specie ex lienis vitio, de qua infra sermo erit, minime est confundenda. Ubi vero erysipelae, vel phlegmonis causa pars externa, et convexa lienis coagmentatur peritonaei laminae, quae abdominis internam parietem velat et prope hanc partem abscessus sedem obtinuerit, pus inter abdominis musculos viam interdum sibi adaperit, et tumor externe reseratur.

ARTICULUS V.

SPLENITIS CUM RUPTURA ABCESSUS ABDOMEN FORAS.

Historia XI.

§. 71. Petrus C..... Amiatensis, quem temperamento sanguineo-bilioso, firma corporis compage, et mentis acie, natura donaverat, prima juventute patriam linquens et arva, ut ordinem reformatum S. Francisci profiteretur, sub nomine Patris H..... a Plano, varias Italiae partes lustraverat, ibidemque commoratus fuerat, nullo ferme salutis detrimento. Neapolitani vero regni diversa loca ad multum temporis dum incoluit,

febribus interdum laboraverat, et absque generali adipis, vel carnis incremento corpulentiam quamdam adeptus erat, lurido cum vultus colore. At animi tranquillitate, ciborum praestantia, quos ditissima familia ad multos annos eidem suppeditare pergerat, morbis inde se subduxerat. Tandem temporum vicissitudinibus in patriam reductus, eo quod vitae anteacte commodis jamdiu sibi comparatis, in senio orbatus fuisset, vel aliis de causis, melancolicus effectus est. Ea interim anni parte, qua HYPPOCRATES splenis morbos ex atrabile gigni putabat, autumno nempe, anni 1812, aetatis suae sexagesimi septimi, a nonnullis intermittentibus febribus corripitur, quibus statim chinae dosi, quam secum tulerat, mederi voluit. Splen eodem tempore dolere, augescere, et durus valde eidem fieri coepit. Vehementiori huic, et gravativo aliquando dolori inducias diaeta valde tenui, et anodynis emplastris impetrabat. Haemorroidalis insuper fluxus, cui jampridem corpus sese assueverat, denuo apparuit, unde venae sectio praetermissa fuit. Duo de viginti circiter dies postquam has pati coepit febres, cum minus doleret lien, conspicimus prope illam abdominis partem, qua rite paracentesis instituitur, gibbum valde magnum, materiamque in illo fluitantem, et suppurationem minitantem. Status aegrotantis pene ille erat quem supra descripsi (§. 61). His naturae conatibus favendum censui, et tertio mane, ex quo emplastra ibidem applicata fuere, dum incidere volo, apostema

sponte rumpitur. Latum tunc vulnus rupturae constitui. Humor, quem continebat abscessus duplicem characterem exhibebat steatomatis nempe, et albuminis, quae ultima substantia dum eniteretur prodire osculum vulneris obturabat. Hujusmodi humoris in malluviis quatuor librae primo mane collectae fuerunt: totidemque tribus sequentibus diebus. Specillum plumbeum altera die introduxi oblique sursum per longitudinem quatuor digitorum absque aegroti dolore, alio directum flecti et aegrotum tantillum cruciare observavi. Post triginta circiter dies bene se esse affirmavit, et quae sani hominis sunt omnia explere potuit. Lien vero aliquantulum naturali major remansit, absque dolore tamen, atque molestia. Cum ab eodem inde discesserim, duos vixisse ferme annos; tandemque post multas febres, dyspepsiam, et oedema in pedibus communi necessitati cessisse tantum compertum habeo. Inopportuna vero, et ferme sordida diaeta ex primis ad ultimis diebus se enutrivisse cognovi.

Mantissa.

§. 72. Quamvis cadaveris autopsia denegata fuerit diligentiori investigationi naturae nisuum, et modi quo cicatrix facta, et vitae quaedam libertas, ut ita dicam, lieni redonata fuerit; attamen ex sola historia satis patet materias ex liene suppurato, non ex alio tumore prope illum, esse profectas. Hac tantum via cognovit Pringle jecu-

ris abscessum, et incisionis necessitatem, quamvis tumor in sinistra parte lineae albae promineret (*a*). Hac via JEMINSON suppurationem ejusdem jecuris per alvum deprehendit (*b*); et abscessum lienis suppurationem per abdominis parietem jamjam minitantem SOEMMERING cognovisse narravit (*c*). Ita nobis licuit, et alias atque alias licebit, accurata consideratione formae et symptomatum praecedentis morbi, futuram suppurationem lienis abdomen foras praenoscere.

§. 73. In casu autem nuper narrato, alio quoque argumento materiae derivationem ex ejusdem materiae naturam confirmari posse existimavi, cum constet albumen multum contineri, in lienis substantia (*d*). Pellucidam namque illam, et in malluvio puris natantem materiam (§. 71.) festucis collegi curiosus, et aqua primum frigida lotus sum, dein tepida, ut solverem; quod quidem non bene cessit. Altera die aliam partem in aceto domestico immisi, in quo tantillum albescere, et opacam fieri vidi; sulphorico acido aspersi aliam, et densata est eodem ferme modo quo densatur succus qui vitellos circumdat.

§. 74. Cognitio itaque formati abscessus versus externam parietem abdominis sterilis admodum,

(*a*) Malattie d'Armata.

(*b*) Saggi d'Edimburgo tom. IV. art. 29.

(*c*) Appendice al cap. XI. dell'Anatomia patologica di alcune fra le parti più importanti del corpo umano di *Matteo* BAILLIE Tom II.

(*d*) ASSOLANT. opera cit.

atque inutilis penè fieret, nisi tempus, opportunitatemque deducere possemus qua tumor foret incidendus, materiesque collecta ad bonam frugem educenda. His enim in casibus statim ac abscessus patuit locus ac formatio, incunctanter, et per latum quidem vulnus, aperiendus est. Nostro namque in aegroto, sicut alias in abscessu hepatis (*a*), repertum fuit nimis exiguum, et viam minime reserans crassis materiebus, quae remanent in corpore post fluentiorum exitum. Minor non impendenda etiam cura, ne plus quam par est ferrum impellatur, cum fatale esse possit vulnus sanae parenchymatis parti. Quapropter obtusa valde lanceola, et obliqua directione aperiendus est tumor.

§. 75. Non confert hisce in casibus scrupulosa nimis investigatio, qua uti necesse est quando ars alia naturae molimina imitari vellet, puta epistaxim, vel haemorrhoidalem fluxum plebotomia, aut hirudinum applicatione; aut bipennula curationem obstrutionis aggredi (§. 51.); sed statim ac ex signis (§. 65.), ac digito, intelleximus hac via dirigi ipsius naturae conatus, neutiquam retardanda est incisio. Quod si nimium retardata fuerit, ita ut abscessus fiat valde magnus, viresque collapsae fuerint, tunc sanies variis vicibus educenda, subligandumque abdomen fasciis, tinctura myrrhae undique madefaciendis. Cerato item amplo, brevi turunda prius in foramine

(*a*) Pringle loc. cit.

immissa, vulnus ad plures horas obturandum erit, si materiam utiliter retinere volumus. Non autem pulvinulis filorum, quae subtiliorem partem puris absorbendo difficiliorem inde reddunt exitum crassioris partis. Quo tempore nutrienti, sed valde modico cibo, necesse est ut aegrotus utatur ter aut amplius in die, et frequenter potu valde refrigeranti.

§. 76. Febris post suppurationem cedere solet, nisi, alio morbo, vel vitio splenitici premantur, vel pleraque pars lienis male affecta fuerit. Aliquam tamen corticis praeparationem eisdem exhibere prodest; non omnibus eadem quidem forma, vel dosi; sed modo solam, modo cardiacis, nervinis, saepius cum alexipharmacis, vel antisepticis conjunctam. Nec obstat, propter nostrorum maritimorum naturam, atque humorum crasim, ADALBERTI MARCUS sententia, opium nempe in splenitide post inflammationem cortici antecellere, eo quod cortex hisce in casibus ventris constipationem producat, etsi hanc expediat maxime removere. Alia est insuper diaeta quae post acutae splenitidis resolutionem convenit, alia qua uti necesse est post suppurationem. Roborantia tunc sthenicam revocare posse diathesim vidimus (§. 15. 16.), quae hisce in casibus longe abesse solet.

§. 77. Cum omnis autem, aut pleraque materia defluxerit, et nulla ferme sanies e vulnere manare coepit, turunda atque cerato praetermissis, pulvinula mollium filorum, unguento lenitivo

primis diebus imbuta, applicare osculo ejusdem vulneris convenit; abdomenque fasciis continere adhuc, quousque saltem humor aliquis effluit.

§. 78. Quibus vero post cicatricem tumor, vel durities in aliqua visceris parte restat adhuc (et hi sunt qui absorbentis systematis infirmitate, vel alio vitio laborant) iis medendum prout aliter notavimus (§. 43. et sequent.). Quod si post talem suppurationem non convalescat aegrotus, sive id ex culpa, sive ex fato contigerit, quamvis momento mortem effugerit, in marasmum incidet, ob stomachi, quae inde exoritur maximam infirmitatem.

ARTICULUS VI.

SPLENITIDIS CUM LIENIS CANCRAENA HISTORIAE.

Historia XII.

§. 79. Michael *Franci* e Petiliano vir, forti constitutione, et bilioso temperamento a natura praeditus, animo vero plerumque tristi, nil aliud quam improbos adire labores in deliciis habebat. Hinc prope flumen vulgo *fiora* paterna arva excolere, ibidemque dies noctesque, ut in crastina promptior esset labori, vel aestivo, vel hyemali tempore, saepe immorari, nec raro aquis male sanis rudi cum cibo uti solebat. Febres vero, et morbos gravissimos saepe passus fuerat sine questu, et nullo artis auxilio superaverat; at

nedum vitae consuetudines immutaret, statim ac domo prodire poterat, arva cryptamque suam repetebat avidius. Is quadragesimum septimum agens annum, die decima junii 1820, post labores praeter morem graves, et magis sibi impares, eo quod lienosus a multis annis evaserat, in febrim iterum incidit. Primam tamen, et alteram dissimulavit; stare inde non valens, lectum, invito vere animo, conscendit. Quarta die accersitus ab illius uxore, ut eidem praesto essem, synocha biliosa ipsum laborare comperi, haemorrhoidali insuper fluxu, cui periodice muliebri ferme more assueverat, a multis mensibus carere. Aestuare corpus quietis impatiens, pulsu cum vehementi; aridam esse cutem; linguam asperam, luridam; labia sicca; oculos rubore micantes conspexi. Sed quid? omne quod a me, vel collega meo eidem ad arcendum morbum jussum fuerat oscitanter excepit, et facere recusavit; animis namque obstinaverat modo, ut alias, aut morbum nullo artis auxilio vincere, aut mori. Nostra non solum verba, sed etiam uxoris, fratris, filiorumque curae a proposito removere nequiverant, et quidquid ejusdem ori vi admotum fuit vel expuit, vel projecit cito. Medela itaque, et cibo quoque ab hac die tali pervicacia abstinuit, ut nullum alium hujusmodi pertinaciae aegrotum, sana mente praeditum, me invenisse affirmare possim (*).

(*) Sana omnino mente praediti non sunt revera lienosi, praesertim si ab adolescentia hoc morbo laboraverint: sed aliquantulum infirmata judicia: obtusamque habent mentis

Prae stomachi autem ardore aquam potabat allatam; illam non expetebat. Rubrum mejebat lotium. Alvum adstrictam, enematibus tentare pariter recusavit. Sexta expleta die a prima febri moritur.

§. 80. In cadaveris autopsia epiplon ferme totum, stomachus prope pilorum, duodeni prima pars, colon ascendens, transversum, et descendens inflammatione tenebantur. Intestini omnes aëre valde distenti erant: stomachus praeterea, cibo vacuus, porraceae materiae duo vel tres coclearia continebat. Lienis, cujus pondus sexaginta octo unciarum fuit, membrana naturali crassior et albicans apparuit. Eadem membrana prope vasa brevia superiora particulam praebebat cartilagineam, magnitudine ossis unguis, crassitie ossis parietalis. Ab hac cartilaginea particula filamenta alba nonnulla descendebant ad centrum usque parenchymatis, in incessu subtiliora facta; inde retroversa centrum repetebant cartilagineum, paulatimque crassiora conspiciebantur usque dum in illius substantiam confunderentur, quasi vasa fuissent a centro profecta ibidemque reducta. Totum lienis parenchyma subnigrum erat, molle ad instar ferme cerebralis substantiae, et proprio pondere a membrana discedebat, praeterquam prope supradictam cartilagineam portionem. Hepar naturali major, non morbosum: cystis parum bilis

aciem, et vultus eorum nescio quod ingens melancolicum praefert.

continebat. Caetera abdominis viscera, et quae pectus continet a naturali non recedebant modo.

Totius parenchymatis lienis corruptionis casus alius (*).

§. 81. Cecinensis vallis incola nosocomium S. Clarae Pisarum petiit anno 1819, qui splenitide laboraverat, et modo pervicacissima quartana febri attritus, cuique multo peruano cortice mederi necquicquam adhuc licuerat. Emaciatum corpus in frigore secundae febris, ex quo nosocomium intraverat, repente inter cadavera connumeratum fuit. In hujus autopsia pro liene sacculus, non parvus quidem, fluctuantem retinens materiam repertus fuit: et cultro inde reseratus, ipsum atrum pus: et maxime graveolens reapse coutinere observatum est. Caeterum aliorum viscerum alterationes haud valde notabiles illo in cadavere fuere.

Historia XIII. (*)

§. 82. Sarcinatrix mulier, Isabella P.... ex oppido S. Florae Senensis nostrae provinciae, cui natura gracile corpus, fortuna nullum donum, conditio pauperiem, et status diutina, et gravia animi pathemata dederant, ineunte mense octo-

(*) Communicavit D. *Aloysius* Morelli in Pisana Academia Clinic. Prof.

(*) Communicavit D. *Ubertus* Cartoni.

bris elapsi anni 1819, aetatis suae trigesimi tertii, post varia salutis incommoda, febri corripitur. Haec remittentis rheumaticae characterem initio praebuit. Capitis dolor, quo frequenter vexabatur mulier, praeter morem vehemens tunc erat. In artubus inferioribus, illorumque articulationibus dolor gravis; et in sinistro hypocondrio permanens, atque profundus aderat. Ejus sedes in liene facile reperiebatur, quamvis mole haud multum auctus, neque tunc contrectationis valde impatiens. Nox molesta, et somnus interruptus fuit. Altera die, febris rigore ingreditur velut in praecedenti: inde cum cephalgia efferatur, et dolor insuper punctorius dextera sub mammilla successit. Quare vena secta fuit, et modica sanguinis dosis elicita. Propter gastricismi signa emeto-cathartico inde etiam purgatur. Post haec melius se habere mulier, et lenis, atque universalis sudor morbi solutionem promittere videbatur. Modicum vero, et tenue mejebat lotium; praeter hoc, in sextam usque diem, nullum aliud aderat mali praesagii signum. Febris interim accessiones minus manifestae conspiciebatur. Alvi dejectiones semper subnigrae, fluidae, et male olentes. Chinae, et valerianae decotionibus utebatur aegra. Septima die, paulo graviori cum febri, comatosa efficitur, et interdum delirans. Vesicantia suris, et plantis pedum applicata fuere; absque eo quod aegrotans melius postea se habuerit; nona immo ineunte die apoplectica moritur.

§. 83. Cadaver medici sub oculis secuit, dili-

genterque lustravit D. CAGNACCI collega meus. Cranium inter, et meninges modica lymphae dosis reperta fuit, quae in occipitali regione quodammodo se abdiderat. Membranis inde cerebrum involventibus praecisis, simile fluidum eodem loco insidens vidimus, cujus valde modica dosis aderat in quarto quoque ventriculo, et prope originem medullae oblongatae. In cerebri substantia, atque illius membranis vitium nullum apparuit. Quae thorax continet viscera omnino sana erant. Abdomen dum recluditur tam magnum factum apparuit jecur, ut neque ventriculum, neque intestinorum partem, quam anteriori ala comprimebat videre licuerit. Haec jecuris pars in sinistro hypocondrio progrediens tam fortiter lieni adhaerebat, ut, absque laceratione hujus visceris membranae, sector ab eodem separare nequiverit. Nulla tamen morbosa affectio apparuit in jecuris substantia sicuti in caeteris abdominis visceribus. Lien vero nulla in parte sanus erat, sed sacculum potius nigerrimi pulmenti haberi poterat.

Haec organica lienis decompositio, mulierem anteactis temporibus, quibus mihi ignota fuerat, chronicas inflammationes ibidem passam fuisse nobis persuasit. Novissima autem de qua nuper egimus splenitide, ea forsan fuit, quae ad ultimum corruptionis gradum viscus adduxit.

§. 84. De natura, et vetustate morbi lienis in foemina (§. 82.), aeque ac in aliis aegrotis (§. 79. 81.) non dubitandum quidem cum ratio non tantum, sed etiam frequens observatio confirmet hujusmodi degenerationes in liene fieri potius per renovatam phlogosim, aut post chronicam, et lentam splenitidem, quam post acutam inflammationem; Id ab eo forsan pendet quod acutae splenitides facilius dignoscuntur, ac diligentius iisdem mederi potestas datur, dum chronicae effectus a plerisque aegrotis aspernantur saepe; vel multi morbi verioribus causis minime tribuuntur.

§. 85. At si medici provinciae in cadaverum sectiones majori sedulitate incumberent, notissimi essent protheiformes hujus visceris morbi, horumque effectus; non tam raram reputavissent lienis cancraenam, sive parenchymatis corruptionem, et tot chronicorum morborum existentiam facilius investigare possemus. Iisdem sectionibus edocti non tam frequenter scirrhosum factum putarent lienem, qui ob magnitudinem, ac densitatem ferme lapideam duritiem aliquando tactui praebuit (*); et vel ut incurabiles hos morbos

(*) Praeter narratas inveteratae obstructionis resolutiones (§. 30. 31. 32 33. 35.) aliud illustre sed triste videbimus exemplum in Hist. XX.

non exciperent, vel magis timere illius effectus ediscerent, et alios edocerent.

§. 86. Scire interim oportet morbosam illam lienis parenchymatis alterationem, quam Anatomici teneritudinem appellarunt (*a*), aliquo semper praecedente lienis morbo homini supervenire, et exordium esse, ut ita dicam, mortificationis totius substantiae lienis. Contigit enim hisce in casibus animadvertere, et cadavera lienosorum, qui marasmo tandem perierunt luculentiora hujusmodi exempla praebent, ipsum parenchyma alicubi flaccidum, alicubi tenellum, alicubi etiam corruptum, et ideo membranae succingenti plus minusve adhaerens.

§. 87. Signa autem quibus medicus hunc morbum deprehendere potest, etsi reapse obscura valde sint, et ipse aegrotus significare interdum eo minus valeat, quo plus praesens morbus a praegressis lienis affectionibus distaverit, et hujus visceris volumen naturali propius erit; attenta tamen consideratione progressuum acutae, vel chronicae splenitidis, quae jam extitit in homine, aut diuturnae obstructionis, quae cum intermittentibus febribus prodiderat, indicia non deerunt hujus morbosae lienis affectionis.

§. 88. Prima famis grata sensatio, quam cibi appetitum vocant, deest ferme semper ubi lien multum aegrotet, et pro illa languor potius virium cibi necessitatem indicare solet. A cibo

(*a*) Baillie opera cit.

pallet vultus, inertia artuum magis exurgit, et profundae inspirationes frequentiores fiunt. Hinc, post considerationem praesentis ac praegressi lienis status, stomachi functiones perpendere maxime interest, cum aderit suspicio cancraenae parenchymatis. Hunc fatalem progressum indicare quoque possunt doloris remissio absque manifesta inflammationis resolutione; constans quotidianae febris character; concoctionis in ventriculo continua difficultas absque alia manifesta causa; anxietas, luridus aspectus; urinae tenues; et pervicacissimae etiam sordes in ulceribus pedum. Horum autem ulcerum exsiccatio, dum sic se habebat lienosus, mortem citius avocare solet. Duo hujusmodi lienis cancraenae casus, et repentinae ferme mortis, praecedente nempe ulcerum tibiarum exsiccatione, ipse observavi Petiliani in duobus hominibus quorum alter, jamdiu lienosus, haepar quoque obtulit inflammatum, alter sinistrum pulmonem putridum. Horum neuter quadragesimum annum superaverat. Alias etiam in senibus vidi.

§. 89. Febris autem illa remittens, quae rheumaticae characteribus apparuit (§. 82.), et illa, quam synocham biliosam ratus sum (§. 79.), vel, si ita placet, gastricam cum Pinelio dicam, revocandae sunt a principio miasmatico, ut credere facile esset in homine (§. cit.), vel potius in corpore generato, ut credidisse mihi videntur illi, qui remittentium febrium causam in tubo alimentari, et praesertim in primis viis posuerunt?

Si illius febris (§. 82.) causas, atque cursum respicere velimus secundae potius sententiae favendum censeo quam primae. Licet enim catarrhales, remittentesque febres in montibus prope maritimam regionem videre non rarum sit, statim ac autumnales venti spirare coeperunt; attamen cum mulier eo anno in maritimis vel humilibus locis non descenderit, malesana jamdiu extiterit, et splenis dolor, a morbi initio, febri arcte conjunctum se obstenderit; ex interna potius causa, a vitiatis nempe digestionibus in muliere febrem illam fuisse potius exortam, quam a principio externo miasmatico, (cujus existentia atque natura apud nonnullos adhuc dubia res est) morbum excitatum credere possumus. Rheumaticam quoque affectionem minus principalem morbum fuisse deprehendimus, ex quo patet febres periodicas rheumaticas, vel catarrhales saepius esse diuturnas potius quam lethales; ideoque febris inflammatoriae sui generis cum febri symptomatica coexistentiam, si Pinelio assentiri placet, praeseferre potest hic morbus. In homine autem (§. 79.) a miasmate in corpore recepto non solum, sed etiam ab illo in corpore generato morbum inde exortum putare licet. Quamvis enim in humilioribus Petilianensis ditionis, et male sanis locis saepe, atque diu immoratus fuerit: cum tamen vir, ex quo lienosus evasit, nec cibos meliores sibi paraverit, neque coctiones in stomacho, ut par erat, factae sint, atque ea tempestate inciderit in febrim, qua febres quolibet anno reapse

adhuc rarae sunt tam in Petiliani, quam in proximorum locorum dictionibus, ab utroque miasmate febrim excitatam credimus. Similes forsan ob causas tetartophya interemit supradictum Cecinensem virum (§. 81.).

§. 90. An vero coma, et ipsa apoplexia mulieris (§. 82.) inter occasionales causas habuerit morbosam lienis affectionem, non facile quidem scitu; cum aliae adfuerint causae universim, nec immerito, inter praedisponentes connumeratae, quas inter gravia animi pathemata, et nervosi systematis infirmitas. At cum Tissotius affirmet se foeminas nonnullas vidisse, quae senectutem nondum attigerant apoplexia correptas, propter obstructiones viscerum abdominis, eo quod, ut ipse ait, infirmitatem processus digestionis produxerint (*a*); et haec quoque digestionis vitia multi practici inter apoplexiae causas recensere non dubitaverint, in horum sententiam, rationum gratia, descendere licet; etsi apoplexiae rarae potius sint, quam frequentes inter lienosos humilium locorum. Nostra vero mulier in montanis degebat.

Primas ideo inter causas remittentis febris (§. 79.), biliosae (§. 82.), et forsan comatis, et apoplexiae pathologicum lienis statum hoc in casu merito collocandum censeo; febrem inde ansam praebuisse ultimis parenchymatis corruptionis gradibus putandum.

(*a*) Trattato particolare sopra l'Apoplessia.

§. 91. Methodus vero medendi hisce in casibus pro diathesis natura, phlogosis gradu, et complicationis momento suscipienda est: sed, etsi rite instituta fuerit, non semper inde bona exsurgit valetudo, nec facilis est promittenda curatio.

ARTICULUS. VII.

A SPLENITIDE, CLOROSIS, ET ASCITIS HISTORIAE

Historia XIV.

§. 92. Francisca Bo... ex oppido Plani, foemina omnibus numeris absoluta, sed viro nupta dissimili, temperamento sanguineo, optima, ut videbatur, corporis compage a natura praedita, ut difficillimis morem gereret domesticis, supra vires rusticis vacabat operibus, quin tamen eos sibi aequiores efficeret. Bis foeta jam fuerat, cum vertente vere anni 1811. aetatis suae vigesimo quarto, dolore in sinistro hypocondrio modo acuto, modo valde remisso, saepius gravitatis tantum sensu molesto, dypsnoea in acclivibus, et in laborioso quolibet exercitio, nec non tussi laborare coepit. Vultus rubicundum amisit colorem, et paulo post mulier catamenia desideravit. Mense junio ejusdem anni anorexia ferme singulari, vomitu interdum, et doloribus circa renes corripitur. Praegnantem sese tunc existimavit, eo quod, semel et iterum gravida effecta, hoc vexata fuisset incommodo. Ego vero haec ex graviditate

tantum proficisci minime judicabam, eo quod frequentior facta fuisset nausea; inappetentia ad omnes ferme se extendisset cibos; sensatio repletionis in stomacho continua foret; multa atque diuturna vexaretur siti, cum hypocondriorum gravi dolore, et maxima virium infirmitate. Instans interim labori mulier cogebatur saepe in agro sedere, et dum patrium repeteret montem prae spirandi difficultate, et lassitudine identidem sistere, domumque reversa saepe incoenata lectum petere. Ejus urina, quam raro videre mihi licuit, aliquando vix turbata, per saepe tenuis apparuit. Exhibui tunc infirmae stomachicam potionem, quam sumere, post primam vel alteram vicem, a cognatorum avaritia prohibita fuit. Talis erat mulieris status mense augusto, cum dolores vagi, et flatulentiae, abdomen paulatim tumescens comitantes, motusque uteri gravidi mentientes, opinionem coexistentis praegnationis fulciebant; et jam tertius erat mensis, ex quo catamenia cessaverant. Dum staret foemina, abdomen tumebat reapse praegnantis ad instar dum autem cubaret, pubis explorans regionem, uteri tumorem reperire non poteram; quinimmo obscuram, sed valde obscuram fluctuationem sensi in ventris cavo. Mammae, ut assolent in gravidis, nil ferme intumuerant, nec areolarum papillae color immutatus erat: quamobrem cum nil proficerem, ad vaginam sum conversus. Collum uteri in pelvi demissum, nec longe ab ore vaginae reperi, utramque ipsius colli partem duram, osculum

lineare cognovi; ideoque nulla signa graviditatis adesse mecum ipse judicavi. Interim febris, quae erratica, et mitis hucusque fuerat, quotidianae intermittentis typum praetulit. Huic aliqua postquam chinae praeparatione mederi incassum tentavi, diureticis et leni catharsi volui. Sed his aliisve medicamentis uti deinceps negavit, aut negare cogebatur aegra. Alvi inde dejectiones rarae, et rarius lotium fuit: notabilis autem corporis consumptio. Circa augusti finem, quartus morbi mensis, novam uteri explorationem exposcit aegrota, affirmans sese quosdam sensisse in utero motus dum quiesceret corpus; et ipsum abdominis modicum incrementum, absque ulla manifesta nota ascitis, graviditatem adhuc portendere poterat. Exploratione collum uteri durius factum comperiebatur: dubium tamen existentiae alicujus corporis in utero cognatis ejus permittere juvabat, aliquid enim venerationis vel pietatis praegnans aegrota durioribus etiam cordibus inspirat. Septembris mense, pedes si staret intumescere; febres graviores fieri; urinae rariores et meraces; frequentiores vomitus, et praxini aliquando coloris observavimus. A quocumque insuper cibo mala digestio; quidquid denique deglutisset evomere: noctu interdum lamentari: hinc celerrima virium dissolutio, et postridie kal. octobris, meliori sorte vere digna mulier mortem sine questu obivit.

§. 93. Cum nonnulli perseverarent eam praegnantem existimare, abdomen statim a morte

incidere opus fuit, quod valde non tumebat, nec tumebant pedes, aut aliae corporis partes. Nullus erat latex inter pellem et peritonaeum. Peritonaeo autem vix secato, humor densus ad instar albarii erupit ad sex circiter librarum pondus. Eodem humore albescebant internae peritonaei parietes, et omnia ab eodem tecta viscera. Intestina insimul ferme coacta in altum pepulerat humor, et sibi hujusmodi fecerat cubile, quale occupare potuisset praegnans uterus; ipsum autem uterum omnino vacuum demiserat in pelvim, et inde evenerat ut unum haberemus praegnationis indicium.

Religionis officiis peractis, et cadavere iterum introspecto, apparuit omentum fere omne consumptum fuisse. Ventriculus, qui erat humore ferme vacuus, naturali minor: intestini tenues pariter ac crassi paucissimae lucis, adipe exuti, et ex alba illa materia concreta, sexta quasi tunica, obvoluti, pluribusque in locis impacti apparuere. Pancreas velut nodosum: glandulae mesenterii obstructae, jecure in limbo anterioris lobi fllaccidum, et atrophia ferme correptum, caetera hujus visceris pars sana, et naturalis molis. Lien magnae vesicae, vel ovi figurrm praeferens extimam membranam naturali crassiorem, et eodem albicante, at magis denso, humore obtectam habebat: ejus vero parenchyma supra viginti tubercula, quorum major granum zeaemays aequabat, continebat concreto pure repleta. Caetera pars rubicundi coloris erat, et naturalem ferme

texturam servaverat. Nulla hydrothoracis, vel hydropericarditis, aut alius morbosae affectionis nota in thorace; ni fuerit modica dosis exsudati laticis circa dexterum pulmonem.

Historia XV.

§. 94. Rosa *Cianelli* a Sesto, Lucensis ditionis oppido, genere agrestis, temperamento sanguineo, et optima corporis constitutione praedita, vigesimo expleto aetatis suae anno Suanam, virum secuta melioris sortis anxium, se contulit, ibidemque octo circiter post annos orbata marito miseram in miserrimam vitam commutavit; atque, ut victum sibi compararet, improbos omnes rusticos labores exercuit. Ex tunc febres quotannis intermittentes, et lienis obstructionem, interdum valde dolentem pati coepit. Inde catameniorum desiderium; ac postea ulceribus immedicabilibus in suris, et virium prostractione afflicta fuit. Hinc vultus venustam formam melancolia tenebravit. Iis qui provinciam maritimam Senensem, atque etiam Romanam diligenter peragrarunt facile est concipere quali cibo substineretur interim mulier, quam potaret aquam, et qualia passa sit, praesertim anno 1816, et 1818 penuria memorabilibus; caeteris hominibus minime. Decem itaque annos circiter postquam valetudinaria facta fuerat, Petiliani nosocomium petiit post dimidium mensis augusti anni 1820. Praeter ulcera sordida in tibiis aderat oedema in utroque pede: tumens

erat abdomen; facies, et thorax quoque oedematosi apparebant, ita ut anasarcatica facile judicaretur. Febri modo levi, modo graviori laborabat, siti; et dysorexia pariter. Os semper pallidum erat. Surgebat tamen quotidie, et e cubiculo claudicando prodibat saepe. Victus itaque nosocomii, et remedia antisplenitica, atque refrigerantia (*a*) ei aliquid conferre, septembris mense, videbantur: immo ipsa ulcera ad cicatricem properebant: sed autumno progrediente, et cum illo humida, atque pluviosa tempestate accedente, omnia in pejus ruere vidimus in foemina, et vigesimaquarta die octobris absque agonia mortua est.

§. 95. Subcutaneum adipem in cadaveris autopsia tenuissimo repletum latice undequoque reperimus: utrumque pulmonem aqua circumdatum, et thoracis cavitatem naturali minorem. Praecisa abdominis carne usque ad peritonaeum subpositam aquam tenuem videre licuit, quam inde, ex dictae membranae incisione, ad pondus circiter septem librarum emanasse judicavimus. Varias hinc pathologicas contentorum viscerum affectiones introspeximus, ac primum omenti, et intestinorum tenuium atque crassorum phlogosim, quae ad mesenterium, et mesocolon satis extendebatur. Lien, cujus pondus triginta duo unciarum fuit, forma et colore a nauturali haud abesse, dum in situ erat, videbatur. In superiori autem

(*a*) Vide Art. et Mantiss. III.

extremitate lardaceam ferme praeferebat naturam ob crassam, et fere cartilagineam parietem, quae cuidam veluti abscessui supererat, pultaceam materiam nondum a reliqua parenchymatis parte satis sejunctam, nonnullasque hydatides continenti; qua ejecta materie ovum gallinaceum cavitas admittere potuisset. Ante magnum lienem alii duo reperiebantur lienunculi prope vasa brevia, quorum unus ovi passeris, alter phaseoli figuram, atque molem praeferebant. Stomachus, aëre distentus, nullam obtulit partialem affectionem. Livida erat jecuris superficies; magnitudine vero ac textura a naturali non recedebat viscus. Pancreas aliquantulum obduratum, praesertim in majori extremitate. Glandulae mesenterii tumidae. Lumbi valde exiles: cystis urinaria naturali minor, atque lotio vacua. Matrix ferme ac in virginibus: ovaria vero magna, et albicanti quadam exsudatione tecta; eodemque humore velata postero-inferior lamina peritonaei, quae rectum praecingit intestinum.

Historia XVI.

§. 96. Ioannes Baptista *Ancinelli*, vulgo *Gallinella* Petilianensis, temperamento sanguineo, conditione pauperrima, opilionis nactus exercitia a puero, in trigesimum quintum et ultra aetatis suae annum pastoris munus exercuit. Arva itaque Petiliani, vel Suanae ut plurimum frequentavit; aëris intemperiem diu substinuit, et saepis-

sime lutulentas aquas bibere eidem necesse fuit. Agricolae dein ad opus quodcumque se dicavit, ut victum sibi compararet, uxorique, quam novissime duxerat. Jam inde ab anno 1800. vigesimo nempe ante praesentem, quo historiam exaravi, lienem sibi dolere, atque intumescere cognovit, et quinque post annos longum tulit morbum, cujus naturam prorsus rescire nequivi, praeterquam qnod ipsum quotidie febri laborasse. Caeterum hoc longo temporis decursu epistaxim obstinatam saepe tulit absque ullo vitae periculo, sed aliquo potius sanitatis incremento, observavitque tunc lienem minus dolere: prout minus dolebat, ac non parum detumescebat cum occaret, aut rudiora obiret agricolarum munia. Maculae interdum lividae peticularum magnitudinem vix excendentes per crura, aut brachia exibant. Lienis autem morbus in pejus ruere coepit ex quo anno sextodecimo supra millesimum octingentesimum, prope flumen *fiora* aestivo tempore iterum oves pascere homini contigit; tantusque factus est lienis tumor, ut post quindenos dies vetus ministerium deserere coactus fuerit. Modica inde recratus epistaxi labores supra memoratos iterum suscepit; et lien aliquantulum imminutus, trium circiter annorum spatio nullam ferme eidem attulit molestiam.

Messis tempore hujusce anni 1820, e marsiliana, ubi moratus fuerat viginti circiter dies, revertens in patriam, febri intermittenti quotidiana corripitur. Ingens per eam aderat sitis, ossium dolor, et

frequens in liene spasmus. Hanc tamen per octo circiter dies minime curavit. Inde purgatus fuit, et chinae unciam sorbuit. Febris intermittens efficitur continua: abdomen intumescere coepit maxima cum lienis duritie, ingentique dolore praesertim post cibum. Guttam cambogiam ad viginti circiter dies eidem praebuit medens: at cum nil aegrotanti contulissent neque tenuis diaeta, neque remedia contra stimulum facientia, die octava septembris paracentasi primum ei consultum fuit. Aqua educta libras octodecim, et uncias quatuor aequavit. Revertenti mihi ex itinere quod susceperam nosocomia, quae juxta oram sunt Thyrreni maris invisendi causa, contigit aegrum videre eodem in statu ac antea quam paracentesis institueretur. Menda nulla aderat in corpore aegrotantis: pellis erat arida; quae talis semper mansit: facies macilenta: os lividum: lingua rubicunda, et satis mollis: gengivae vero, et dentes incolumes: frigidus totius corporis ambitus, praeterquam abdomen, quod ad gr: xxvij. thermometri Ream: ascendere hydrargirium faciebat, dum aliis applicatum corporis partibus signabat gradus xxiij; quae differentia, caloris extitit plus minusve quoad vixit aegrotus: minor autem erat postquam aqua e ventre educebatur. Cordis pulsationes validae multum erant, et nonaginta, vel nonaginta quinque in quolibet horae minuto. Urinam tenuem, et exigua, ut plurimum dosi mejebat in die. Raro absque clysteribus alvum exonerabat. Ore erat interdum satis ju-

cundo, et spe recuperandae salutis illectus, etsi ad risum labia non componeret, lepide nobiscum de morbo loquebatur, et aequo animo per longam, molestamque aegritudinem semper fuit. Postridie, nempe die vigesima prima septembris, paracentesis iteratur, et aqua in malluvio recepta fuit ad libras viginti tres. Magnitudinem tunc atque duritiem lienis, prius in abdomine fluctuantis cognoscere manibus licuit, et ventris idcirco medietatem ferme occupare. Primis octobris diebus cum styptica semper esset alvus, et urina rara, cremoris tartari varias doses exhibui (*): ex quo remediô urinam abundantem pluries obtinui, vix etiam turbatam. Caeterum nil proficiebat aegrotus noctes ut plurimum aegre ferebat: deliquia a cibo, si huic aliquantulum indulsisset, patiebatur: et venter citissime replebatur: aqua. Magno tamen adhuc animo erat, surgebat e lectulo, domoque prodibat. Idibus ejusdem mensis ab ipso aegroto expetita paracentesis tertio facta fuit, et ea vice ex dextera hypogastri parte. Pondus aquae effusae fuit librarum triginta. Ea die multum minxit, atque adsellavit: non ita deinceps. Cremoris tartari usui addidi tunc modicam ferri dosim. Quinta post paracentesim die indigestionem, et cum illa deliquium passus est. Tunc temporis innumerabiles erant cordis

(*) A dr. j. ad iij in die.
in aqua font. distill. lb, iij.
adde Sirup. quinq. rad. unc. iij.

pulsationes, quas inde a centum septuaginta ad centum quadraginta in quolibet minuto notare potui, nec prius quam in die vigesima secunda mensis ad superius designatum numerum rediere. Dedi vero ex tunc cochlearia tres vel quatuor infusionis digitalis in die, et ab illa noctes satis quietas, et inducias in cordis contractionibus obtinuisse apparuit. (*) Abdomen tamen intumebat jugiter, et hinc exomphalos orsus est. Tunc temporis cor, cum pulsaret, in gyrum se agere videbatur. Ultimis mensis diebus gustare non poterat, et rariores erant alvi excretiones. Remedia eadem. Maculae ad instar peticularum in humeris, et brachiis apparuerunt, et eadem die haemorrhoidalis fluxus. Hic post triginta circiter horas sistitur: illae evanuere. Post quartam paracentesim, quae peracta fuit vigesima septima die octobris, et libras triginta quinque laticis foras eduxit, iterum ad nonnullos dies multum minxit lotium, et satis grave: lien vero magis doluit. Primis novembris diebus magis magisque se infirmatum praedicabat, et ab edulio quolibet se male habere: venter insuper quam citissime intumescebat. Flabat euro-auster, qua tempestate hydropici in pejus semper ruere vidi, et hoc

(*) A drach. iij. ad unc. ij in die.
cum oximell. scillit. unc. ij.

Carditide in hoc septemnario laboravit? Si pulsus nimia frequentia pathognomonicum est carditidis, credere possumus. Autopsia vero nil praebuit unde hoc affirmare liceat.

tempore ab assumpto cibo interdum caro, et saepe syncope correptus fuit. Nonis novembris novum phaenomenon; a cibo membrorum jactatio, et delirium, vel dum staret, aut lecto insideret, mirum. Postridie, quinta paracentesis instituitur, et pondus aquae inde collectae notavit libras triginta. Sub sero convulsiones. Die octava mensis, etsi modicum cibum sumeret, vomitus, et ita ad extremum vitae, quidquid ingurgitaret, vomere ferme semper coactus fuit: abdomen insuper undique eidem doluit; stare tamen aliquantulum enisus est: nox tristis. Nona, prae angustia, et jactatione juxta lectum reclinatus, aut justa focum sedens multas diei noctisque horas transegit. Cordis pulsationes adhuc frequentes, at non semper perceptibiles. Viribus tandem fractus, convulsionibus, et singultibus vexatus, et aphonia interdum ad multas horas, diei decimae: vespere lectum conscendit non amplius descensurus. Dum somnicolosus appareret, vel graviter etiam somno correptus foret, si leviter tangeretur in abdomine cum tremore expergiscebatur. *Hyppocratica* facies jam praecesserat mortem, quam obiit meridie sequentis diei:

§. 97. Vibices multae erant super brachia et scapulas cadaveris, quod, ut alias, diligenter secuit collega meus R. Palazzuoli, peticulis ferme similes. Articuli, thorax, et caput adipe, et carne cassi: tumens, et resonans abdomen. Recluso thorace pulmonem dexterum infarctum, et sinistrum quoque talem magna ex parte conspexi-

mus; ex docimasia utrumque multum gravem: sanum ferme cor, atque pericardium: thoracis cavitatem valde iminutam ab hepate et liene diaphragma sursum trudentibus. Ex reserato abdomine lympha viginti circiter librarum pondere prodiit. Peritonaei lamina quae intestina obvestit, illaque parietibus ventris applicata obductae erant albicanti, vel subfllava depositione. Tenuia, aeque ac crassa intestina, ingentem lienis volumen in dexteram abdominis cavitatem compulsa, inflammatio tenebat. Hepar a naturali figura valde recedebat, magnum namque erat, sed parum descendens ex fornice diaphragmatis, maxime attenuatus in lobo anteriori; et viridis coloris erat. Cystis fellis parietibus valde crassis, et ferme cartilagineis praedita: bilis subnigra. Lien, qui subter umbilicum, et ultra lineam albam sese produxerat, membranam undique ferme cartilagineam ad scuti crassitiem, et albicantem habebat. Concavus ferme erat in margine anteriori, quo stomachum recipiebat. Ejus inferior extremitas superiore valde major. Adhaerebat autem viscus diaphragmati, stomacho et intestino colo; ex suis ligaminibus inde avulsum sex librarum pondus superavit: ejus parenchyma valde densum, et vasa multa e majoribus parietes naturali crassiores obtulere. Pancreas, et omnes mesenterii glandulae obstructae erant. Stomachus parvus, aëre distentus, et cysti fellis morbose adhaerescens. Panniculus adiposus consumptus, et quod ex ipso supererat lutei coloris

fuit. Lumbi exiles, cryspati, et adipe cassi: cystis urinaria parva atque contracta; ita ut nullum intra abdomen esset organum, quod sanum aspicere liceret.

MANTISSA.

§. 98. Si animalia omnia rubro privata sanguine liene pariter deficere satis demonstratum esset, ideoque HEWSONI sententia pro facto in physiologia recepta fuisset (*a*), facile intelligeretur, aliquis dixit (*b*), quomodo ex lienis affectionibus clorosis, et alii etiam exoriantur morbi; et unde etiam fiat, ut ea remedia, quae contra lienis obstructiones valent, ad clorosim tollendam prae caeteris polleant. At si HEWSONII hypothesim rejiciere cum MORESCHIO debemus, et facta luculenter demonstrant per abundantem lochiorum fluxum vel restitutam menstruationem (§. 30. 32. 33. 99. et not. ad §. 140.) permagnas lienis obstructiones in mulieribus saepe resolutas fuisse; per epistaxim, et haemorrhoidalem interdum stillicidium in viris inveteratas quoque, et pene scirrhosas abivisse lienis durities: a sanguinis revultione hisce in casibus, ab illius nempe affluxu in lienem, ubi stimulus adest, clorosim primum revocare possumus. Et cum atonia uteri inde exoriatur, et tandem vascularis quoque textus

(*a*) Vide in *Introductione*.
(*b*) SÖMMERING Append. ad op. cit. BAILLIE.

ipsius lienis, sic fieri videtur ut per lienis curationes utriusque visceris integritas restituatur. Haec ita se habere in curationibus, quamvis qua ratione se habeant, huc usque satis non intellexerim, non brevi quidem experientia edoctus, affirmare possum; addamque me alias ferri tantum praeparationibus; in virginibus praesertim, cum lienis obstructione simul clorosim, et ascitem propulsare potuisse.

§. 99. Petilianensem adolescentulam, cui nomen « Antonia *Dainelli* » inter caeteras memini, quae decimo quinto aetatis suae anno splenitica primum, clorotica inde effecta; tandem tanta lienis obstructione cum ascite laborantem reperi, ut in abdomine, contenta retinere non valente, hernia umbilicalis, nec parva quidem oriretur. Ipsam tamen diutino tincturae martis tartarisatae usu, et motu ante biennium non solum ab ascite, sed etiam ab ingenti obstructione, exomphalo, et clorosi liberatam vidi, et adhuc bene valet.

§. 100. Moeroris interim effectus in muliere (§. 92.) si placeat investigare, cum FANZAGO, et ZIMMERMANN fateri oportebit lentum moerorem diuturnos, obstinatosque sequi morbos, qui plerumque non evertuntur nisi sublata causa. Hoc namque pathema nervorum vires elidit, et somno, cibique appetentia sublatis, digestionem, atque nutrimentum impedit corporis; ac sanguinis retardat circuitum.

Ex retardato autem, his de causis, sanguinis cursu, quod facilius in liene, quam in aliis visce-

ribus contingit, ob vastum, juxta ASSOLANTIUM, capillare systema (*a*), pathologica lienis primum conditio, inde chronica splenitis orta videtur in Planensi muliere, et a splenis affectione catameniorum in utrisque (§. 92. 94. 99.) suppressio. Hinc sanguinis crasis, albique humoris circuitus perturbati: vasorumque lymphaticorum infirmitas parta deprehenditur. Qua praesente, si ex inflammato liene fiat humoris exsudatio, adest ascites. Quod si praedictis causis adijcias nutritionis defectum, potum impuri laticis, et in aëre palustri, sive male sano diutinas mansiones, quomodo duobus aliis contigit aegrotis (92. 96), facillimus erit ad ascitem descensus.

§. 101. Laticis itaqne per chronicam splenitidem in ventris cavitate exsudatio, ejusque non facta resumptio primam verisimiliter exhibet nostris in aegrotis ascitis proximam causam. Si quis autem *Xaverio* BICHAT modo assentire vellet ex humore nempe circa lienem reperto lactineo, ut ipse ait, vel albarii characterem praeferente, ut notavi (§. 93.), membranam lienis inflammatione primum laborasse certe credere posset. Attamen ex hoc tantum signo id concludere non auderem in genere; minime in casu, cum ipsum parenchyma sanum nequaquam repertum fuerit (§. 93. 95. 97.), et illa humoris adhaesio communis interdum sit aliis etiam abdominis visceribus partibusve, nec facile, uno verbo, dici possit

(*a*) Loc. cit.

an phlogosis unius membranae lienis ascitem inducere potuerit absque ipsius parenchymatis gravi perturbatione, ideoque totius vascularis systematis vitio. In eo autem sum ut existimem, splenitidem in omnibus aegrotis (§§. cit.) praeexstitisse, et causam praebuisse asciti. Si enim a puris collectione inflammationis praeexistentiam deprehendimus, humoris exsudationem ab illa parte, quae inflammationis signa praebuit, repetere praesertim debebimus.

§. 102. Si lymphatica vasa nihilominus sana fuissent nostris in aegrotis hydrope non periissent, et eo modo quo sanati sunt adolescentes de quibus supra (§. 51. 53. 55. 99.), ita hi forsan superstites forent, aut altiori ascitis gradu obnoxii non fuissent; et pathologicam ideo conditionem in absorbentibus quoque vasis jamdiu adfuisse nos fateri oportet, cum haec aegrotare una cum decremento vitalium virium ex factis, a cadaverum nempe autopsiis, cognoverimus. Quibus omnibus perpensis, etiam si una adfuerit, absque eo quod altera interveniat morbosa affectio, a splenitide immedicabilem ascitem fieri non posse videtur.

§. 103. Hanc ergo infirmitatem vasorum lymphaticorum, quibus lienis systema arctissime conjunctum affirmant Tiedemann, et Gmelin (a),

(a) Esperienze su le vie per le quali le sostanze introdotte nello stomaco, e canale intestinale passano nel sangue con osservazioni su le funzioni della milza, e su le vie orinarie.

non solum interest prae oculis habere, sed investigare maxime oportebit, quamvis exsudationis prima perspecta fuerit causa. Quo magis immo ignotae fuerint horum vasorum vires, eò minus de salute sperare licet in hujusmodi ascite, quae haud facillime semper curationem admittit. Hae autem vires non meliori certe deprehendere possumus ratione, quam solerti observatione apparatus nutritionis, systematis dermoidis, et glandularum omnium, quae arcte absorbentibus conjunguntur. In hoc prognosis, et curae dimidium. Quamvis enim anorexia, atque dyspepsia sint individua splenitidis symptomata, attamen celerima et universalis corporis emaciatio, diarrhoea, aut lientericae dejectiones, dolores prope lumborum regionem digestionis tempore, pellis sicca, decolor, et ferme semper frigida; facies pallida, aut plumbei coloris, glandulae cervicales, subaxillares, inguinales, turgidulae, vel notitia praegressae scrophulae, aut celticae luis de lymphaticorum vitiatis functionibus manifeste nos certiores reddunt.

§. 104. Multa igitur inter remedia quae in ascite commendata fuerunt hisce in casibus ea expedit primum seligere, quae ad obstructiones tollendas etiam valent (*), et quae adversum scrophulas mire posse experti sumus (**). Aliis

(*) Vide §. 43. 46.
(**) ℞. Carbonatum ferri a gr. ij. ad xxx.
it. Aethiops miner. a gr. x. ad xxx.
A nonnullis etiam exhibetur
Aäthiops vegetab. RUSSELI a gr. xx. ad dr. unam.

item externis applicationibus, quae impetiginibus, ulceribus, tumoribus ex aphrodisiaco, vel scrophulari viro enatis simul utendum. Nil autem boni expectandum in hujusmodi ascite a venae sectione, nisi primis morbi diebus, et dum manifesta adsunt splenitidis signa, vel humoris exsudatio nuper praegressae splenitidi supervenerit. Conferunt potius hirudines podici applicatae, praesertim in mulieribus cloroticis effectis. Ubi vero adfuerit immedicabilis moeror vis vitalis sensim corruet, et medicamentorum virtute paululum, aut nil proficiente, dura necessitas gradus corripiet.

§. 105. Humores, ex inflammata lienis membrana emissi, aut ex reserato tuberculo manantes, in ventris cavitate delapsi non semper viam sternunt asciti, neque cum ab inhalantibus vasis iterum absorbeantur, illico sanitas redit. Quinimmo nisi ex integro per urinas, aut per aliam viam e corpore pellantur infirmiorem partem corporis aggrediuntur. Hinc oedema, ecchymomata, ulcus in pedibus, et alia cacochymiae phaenomena. Haec autem phaenomena conspicere datur etiam in homine, cum splenis obstructio neglecta fuit, et ex hac non solum praedicta incommoda, et marasmus tandem enascuntur, sed aliquando propter stomachi affectionem, digestionisque vitia, quaedam phthisis species in lienosis exoritur, subole quidem molientis, nec tam cito sese manifestantis.

ARTICULUS VIII.

A SPENITIDE, ET SPLENIS OBSTRUCTIONE PHTHISIS PULMONALIS.

Historia XVII.

§. 106. Anno 1811. Plani, Amiatensis montis in oppido medebar cuidam Zoojatro multorum filiorum patri, temperamento bilioso, haecticaque constitutione praedito, ac permagna lienis obstructione affecto, ex quo, mense septembris praecedentis anni, post longum iter, laboriosumque cursum, sudore jam madefactus, corpore statim refrigerato febri correptus fuerat, cui corticis usum frustra qui eidem medebantur, et inopportune forsan opposuerant. Is inde paulatim, priusquam pulmonis suppuratione contabesceret, primo tussicula sicca laboraverat non continua, mane molestiore, quam aliis diei, noctisque horis. Dolores quandoquidem in jecure, saepius in liene (qui post nonnullas febres magnificatus apparuit) et non raro in osculo ventriculi, ac lumbaribus costis ferebat acutos. Exscreatus primo tempore nullus, dein modicus, modiceque purulentus, albus et opacus, denique plus minusve abundàns, nulla per ipsum aegrotantis in melius, vel in deterius sensibili mutatione. Quidquid ori admovebatur quandoquidem gustabat, sed nequicquam: omnis namque digestio mala; ructus,

flatus, et borborygmi; cumque ad occasum aeger properaret, diarrhoea, et meteorismus cum tympanitide accessit. Post qualemcumque corporis agitationem, vel statim a cibo difficilis spiratio, et frequentior tussis aderat. Ob easdem causas stare eidem minus molestum, quam decumbere; ultimisque diebus, ob infirmitatem jacere coactus humeri ut elevarentur per sellulam flagitabat. Abdomen semper tumens fuit, quamvis multa applicata fuissent eidem remedia. Qui ante hoc tempus hominem curaverant, sex circiter mensium spatio, ceu febri periodica laboranti (febrim revera intermittentem quotidie ferebat ex proximo elapso autumno) medebantur peruano cortice, ut dixi. Unanimiter tandem de vitio lienis, cum sibi persuasissent aperientibus pilulis, malagmatum resolventium applicatione, inunctionibus alkalinis, dein absorbentibus, et calybeatis curam aggressi insimul fuimus. At sero nimis: progressusque est ideo morbus, tussisque frequentior facta, cum abundantiori excreatu: oedema in pedibus apparuit; ascites pro tympanitide, dehinc aphonia, tandem convulsiones, et mense Julio, decimo nempe ex quo aegrotare coeperat mors.

Magna ex parte consumptum habuit utrumque pulmonem, ubi pus ferme pro parenchymate erat; intestina aëre valde distenta, et omni materie vacua: obstructionis causa lienis volumen naturali mole duplex glandularumque mesareon duritiem reperimus. Laticis dosis in abdomine

contenta sex circiter librarum pondus aequare judicavimus.

MANTISSA,

§. 107. Perperam judicant ii, qui post splenitidem remanentem lienis duritiem, absque sanitatis detrimento saepe existere posse in homine credunt. Grave enim offendiculum ad salutem restituendam non solum semper inveni in inflammatoris febribus cum speciali alicujus visceris phlogosi, et praesertim in peripneumonia, in continuis, in exanthematicis, aliisque pluribus morbis; sed aliorum quoque esse posse originem reperi, atque modo occasionalem, modo praedisponentem causam esse morborum reapse saepe videmus, et quo plus chronica haec affectio progressa fuerit, eo minus sanitatem sperandam fore pluries comperi: roborem decoremque corporis pariter ac mentis ab juvenibus aufert; proliqueque miseram vitam, brevem, et injucundam parat (§. 34 pag. 44). Vidimusque illum insuper magis in his casibus timendum esse morbum cujus, vel ob haereditariam dispositionem, vel ob alias occasionales causas, jam provocatur in corpore adventus, atque pathologica conditio introducitnr.

§. 108. Hujusmodi exemplum habemus in homine cujus constitutio corporisque compago, conditio, status, coelum phthisi favere solent. Multos alios hujusmodi casus in medium profer-

re possem, nisi aliud etiam adduxissem exemplum (§. 34.) ex epidemica constitutione peticularum anni 1817 depromptos, in quibus lienosos de valetudine sua minime anxios tabicos de repente evadere vidi.

§. 109. Interim phthisis hujus speciem unice mihi exploranti, cum in mentem venerint observationes Alexandri Wilson Philip de quadam pulmonis tabe in Anglia frequentissima, qua cum magna ex parte morbus supra notatus convenire mihi visus fuit (dum lectorem ut cognoscat accuratam morbi symptomatologiam ad Auctorem remitto) (*a*): nonnulla circa morbi causas, progressus, et curam iterum perpendere operae praetium reor. Multi namque morbi, qui endemici appellantur, quum in diversis exsurgant regionibus, an iisdem ex causis ortum duxerint, nec ne, cognoscere maxime interest; et an eadem curari debeant methodo, quum ab aliis satis probatam in illos accepimus.

§. 110. Opportunitatem igitur ad phthisim, sive praedispositionem, in pulmonibus in hac quoque tabe, ut plurimum, jam adesse debere observat Anglus Medicus. Ab omnibus vero causis, a quibus digestio ciborum labefactari potest, phthisim hanc produci in corpore affirmat; morbos hepatis consectari; quinimmo aegrotos, qui

(*a*) Transazioni Medico-chirurgiche della Società Medico-chirurgica di Londra Vol. VII. et in Diario Omodei Annali universali etc. N.° XV.

gravissima nuper in hepate passi fuerant, unius dexteri pulmonis morbo celeriter contabuisse, et ideo, juxta illius mentem, vitio utriusque visceris citius periisse. Lienem autem quam frequenter morbo affectum in cadaveribus reperisse nunciat. Hinc nec immerito secundariam phthisim pulmonalem appellat illam, quam digestionis vitia praecessere, multasque rationes maxima modestia, atque criterio affert in medium ad demostrandum ascensum morborum ad pulmones ex visceribus sub septo transverso sitis, et a stomacho praesertim; quas cum ex factis eruat, inficiari non licet. Scimus namque frequenter fieri ut per titillationem a vermibus, aut saburris ramorum nervi vagi (plexus aesophagei nuncupamus) qui cardiam ferme irretiunt, parvamque complectuntur stomachi curvauram, ipsum quandoque diaphragma, inde enascantur multi pulmonis morbi, veluti asthmata, suffocationes ec. ita ut de consensu inter duo haec viscera dubitare non liceat; neque de potentia vitiatae digestionis ad inducendam phthisim pulmonalem.

§. 111. Malae interim digestiones, cum multis in locis reperiantur, itidemque jecuris vitia, inquirendum mihi videtur an existant nonnullae peculiares causae in aliquibus Italiae locis, quae illis in Angliae litoribus existentibus respondeant, ad vitiandas nempe digestiones actuosae, et ad hanc phthisim inducendam satis validae. Et cum prima inter lienosorum incommoda, ructus flatus, inappetentiam, nauseam, aliquando vomitus,

oris graveolentiam, gengivas putrescentes, alvi dejectiones foetidissimas animadvertere contingat, omnia uno verbo, vel pleraque saltem phaenomena, quae pravas digestiones comitari solent; hasque diutiorniores, vel pejores fieri, quo gravior, et pervicacior est lienis morbus: haud longe a veritate me abesse existimo, si ab eodem morbo digestionis vitia, nutritionis defectum, et hujusmodi pulmonum tabem repetam, et hoc, ni fallor, validum erit quoque argumentum ad demostrandum lienem in homine, juxta MORESCHI mentem, ad ciborum digestionem coadjuvandam in stomacho a natura destinatum fuisse.

Quod si his accesserit consideratio morborum hepatis qui in maritimis nostris plerumque sequuntur, raro praecedunt lienis vitia, id quod et alibi etiam SWIETENIUS observaverat (*a*), nova aderit ratio firmandae sententiae, et a lienis affectionibus tamquam a primo primo elemento chronicam hanc phthisim, in incolis, vel accolis hujus Italiae partis deducere debebimus; quomodo non raro etiam evenire in paludosae Belgicae suae regionis incolis observavit FORESTUS (*b*).

§. 112. Aër insuper, aquae, et loca plura Angliae similia ferme cum sint maritimis nostris regionibus, ibidemque intermittentes febres cum pervicacibus imis ventris obstructionibus, unde

(*a*) Comment. ad Aphor. 958. BOERHAAVII.
(*b*) Observ. VIII. X. et XI. loc. cit.

etiam tabes, notaverint medici, veluti apud nostrates videmus, rite putamus tabem, de qua supra, a pathologico lienis statu, aut ortum ducere aut promoveri. De insalubribus enim stagnantibusque aquis in Anglia disserens RICHARDUS MEAD suis non tantum, sed nuperrimorum, veterumque inhaerens observationibus, splenis malum habitum tumoremque illas inducere, indeque chachexiam fieri affirmat (*a*). In prima vero descriptione epidemicorum THOMAE SIDENHAM legimus infantes, qui continuis, aut intermittentibus febribus obnoxii fuerant, per splenis tumores haecticos factos. » Ventris tumor inquit qui infantibus accidit post has febres, quibus anni aëris constitutio intermittentibus autumnalibus progignendis epidemica determinatur, tangentis digitum haud aliter ferit, ac si materiam aliquam continerent viscera in scirrhum induratam.... ventres eorum inflati, tumentes, ac duri evadunt, saepe etiam tussis, aliaque tabidorum symptomata subnascuntur. » Et tussis inquam sicca illud est quod WILSON PHILIP inter signa descriptae phthisis primum enumerat (*b*); et ipse tussiculam hanc non tantum in nostro zoojatro, et in duobus legum-peritis Petiliani simili morbo correptis, vitaque functis, sed in aliis quoque notavi.

§. 113. Cum causae igitur, nedum symptomata phthisis nostri aegroti, aliorumque hujusmodi ta-

(*a*) Tentamen VI.
(*b*) Loc. cit.

bicorum, et phthisis in Anglia frequentissimae inter se convenire videantur; restat inquirendum cur ex jecuris vitio potius hepaticam quis dixerit, quam ex vitio lienis splenicam habuerit; ne quis ex diverso nomine, rei varietatem arguere velit.

§. 114. Ex cadaverum autopsiis a Wilson Philip nobis patefactis ratio quidem non eruit cur uno potius, quam altero nomine designari debeat » jecur inquit, morbosum fere semper conspicitur, aut signa alicujus praegressi morbi in illo reperiuntur. In liene quoque alterationes quam frequenter vidi. » Eo minus id ex illius symptomatologia deduci posse videtur: dicit enim pathognomicum signum hujus phthisis esse perturbationes digestionis, viscerumque, quae huic functioni inserviunt. Inter phaenomena vero hujus dyspepsiae dolorem epigastri in illius attactu connumerat. Ex quibus non certe hepaticam, neque forsan splenicam, sed phthisim spleno-pneumonicam, seu pulmonalis lienosorum appellari posse existimo; quia cum ex vitio tubi digerentis proximiori tamquam ex causa oriatur, non eadem certe videtur ab hepatica et splenica tabes, quae ex marcescentibus jecure, vel liene a practicis dijudicantur, aut etiam ex ipsorum ulceribus (a), vel a suppuratione; in quorum morborum progressionibus, etsi pulmo quoque contabescat,

(a) Vide Van-Swieten in Comment. Boerhaave Aphor. 1214.

diversas tamen habet tunc morbus formam, atque phases, ac hepatica et splenica tabes (§. 66.).

§. 115. Methodus curationis phthisis a WILSON PHILIP descriptae, quam lienosorum ego appellavi (§. 114.), cum ex vitio digestionis morbus oriatur, ut sit rationi consona, ab illis remediis quae bonae conferunt digestioni initium sumere desiderat; nec alia indicatio utilis esse potest. Hanc ob causam asthmati humorali feliciter medebatur BAGLIVUS leniter purgantibus pilulis (*a*), et pertussis, ac tussis convulsiva, cui alia remedia nil profuerant, evacuantibus cessit (*b*). Quousque itaque in hac phthisi tussis, et excreatus ex illorum characteribus, symptomatici affectionum stomachi reperiuntur, optimum expertus sum quotidianum usum quatuor et amplius pilularum quas supra indicavi (*); decotiones polygalae virginianae, interdum contrajervae, et serpentariae infusionem quoque exhibere confert. Statim ac vero digestiones meliores factas conspicere potui,

(*a*) Praxis Medica lib. 1.

(*b*) DARWIN *malattie di sensazione*, et ROSENSTEIN *malattie dei bambini*.

(*) Vide §. 39.
vel etiam, si summa adfuerit stomachi infirmitas
Corticis Winterani in pulv. — drach. j.
Croci in pulv. — drach. ss.
Assae foetidae ana ms.
cum estracta eupatorii drach. ij.
f. b. n.° xxxvj.
dos a ij ad vj in die, quolibet mane.

ideoque tempus jam fore pulmonibus medendi, novis pilulis extracti myrrhae, et florum sulphuris, addita aliquando modica opii dose, aut pro eo extractu hyoscyami nigri, si adhuc aderat inflammationis suspicio, pro temperamento, et aetate aegrotantium, saluti nonnullorum consulare potui (*). Praetermisi vero nunquam in valde lienosis, et cacheticis calybeata, et martis tincturam prae caeteris adhibui, usque dum saltem in digestione, et alvi egestionibus nullae amplius pertubationes essent, vel principalem morbi partem non amplius constituerent.

§. 116. Haec autem species phthisis pulmonalis dum adolescit, pus colligi etiam potest paulatim in aliqua lienis parte una cum universali visceris obstructione, ut semel vidi; quod quidem ex signis recensitis (§. 61.) licebit non sine ratione suspicari. Id si eveniat, quamvis raro occurrat, in medendi ratione summa rei in eo verti videtur, num ulcus versus exteriora aperiri possit, vel num ullae aegrotantis conditiones talem operationem contra suadeant (§. 74. et seq.).

§. 117. Cum vero lienosorum phthisis devenerit ad id, quod secundum stadium phthisis vocant medici (non tantum enim phthisis tria stadia

(*) Extracti myrrhae aquosi drach. ij
Flor. Snlphur. ana
Balsamum copaivae gr. xxxx.
Extract. graminis drach. iij. ms.
f. b. vj aut vij granor. *adde*
opium a gr. ss. ad ij in die

distinxit Wilson, sed omnes ferme practici) eoque progressa fuerit, ut chronica pulmonum inflammatio jam adesse comperiatur, nil addere possum iis, quae a practicis, ipsoque Anglo Medico non sint observata, patefacta, vel praescripta. Unum dicam quod ex aegrotantium numero in quibus aliqua suppuratio pulmonis manifesta erat, duodecim annorum spatio, tres tantum in maritimis mortem declinare viderim.

ARTICULUS IX.

A SPLENITIDE, ET SPLENIS OBSTRUCTIONE SCORBUTI HISTORIAE.

Historia XVIII.

§. 118. Dominicus *Marrani* e Pitiliano conditione molitor, agrorumque cultor, temperamento sanguineo, e cujus cognatione nullus, quoad scire licuit, splenis affectiones passus fuerat, ad vigesimum, et ultra aetatis suae annum non bonae tantum valetudinis, sed etiam maximi roboris fuit. Quadam ergo die, dum per ductum aquae molae suae frumentariae ambularet, ingens repente saxum sub pedibus ejus evolvitur, et pronum super angulatam rupem dejecit. Sinistra abdominis pars icta fuit, tantusque in illa exsurrexit dolor, ut exanimis pene conciderit; et talis fuit contusio externa, ut post multos dies adhuc oculis patens foret. Qua methodo curatus, et

quale ceratum eidem applicatum fuerit prorsus ignoro: unum scio linteolis stricte obvolutum ad nonnullos dies decubuisse, et deinde ad opus pristinum rediisse, absque ullo ferme dolore. Sex circiter exactis annis a casu, febri quotidiana intermittenti primum corripitur, quae post sextum circiter accessum ope peruani corticis victa cessit: at tunc splen dolere, et intumescere coepit. Hyeme ejusdem anni, in suburbana S. Martini paroecia cum degeret, pleuro-pneumoia ei supervenit, a qua iterata venae-sectione, aliisque ut reor pro opportunitate remediis, die undecima liberatus fuit. Dolor punctorius fuit in sinistro latere, et splen, ut in lienosis saepe contigit, acriter doluit, et forsan splenitis acuta fuit praecipuus ejus morbus (§. 2.). Post haec suam iterum exercuit artem. Hyeme tandem anni 1813. lassitudine quadam vexari coepit, quae progressu temporis augebatur, et cum illa lienis moles, pondusque magis crescebant; et inde ictero insuper laboravit. Qui tunc ejusdem valetudini praeerat medicus pilulas nonnullas deobstruentes per paucos dies exhibuit, et aquas balnei cujus nomen a Petiliano, (*) exinde sorbere ipsarumque percussionem in liene pati persuasit. Ab istis remediis melius se habuit, et ejus praesertim stomachus functiones suas melius, citiusque perficiebat; tumor vero lienis ferme stetit; at nullas in aestate vel autumno illius anni, quod non in anteactis

(*) Vide notam ad §. 44.

evenerat, passus est febres. Hyeme anni 1814. eodem gravius vexatus est morbo, quem iisdem remediis, compescuit, quin in pejora rueret. Sequenti tamen autumno ita viribus destitutus, talique divexatus est physconia, ut non solum in acclivibus absque cordis palpitatione, et suffocationibus ascendere, sed neque deambulare, neque corpus fllectere absque gravi labore valeret. Solitum tamen opus non intermisit, quamvis identidem quiescere, et sessum ire cogeretur, ne in deliquium caderet. Novissime, hyeme anni 1815, gingivas laxas, flaccescentes, dissolutum effundentes sanguinem, dentes vacillantes, anhelitum foetentem, faciem interdum tumidam, terreique semper coloris, et ora livida exhibebat. Surae a levi qualibet irritatione sanguinem exsudabant. Lotium grave, rubrum, et foetidum mejebat. Hoc in statu arva tamen sua, et molam non semper deseruit. Multum etiam sumebat cibi, at sine virium profectu. Accesserunt insuper graves, et freqnentes haemorrhagiae ex ano; et sanguis erumpebat ante, vel post quamlibet alvi dejectionem, aut stillabat dum deambularet singulis ferme diebus. Interdum torminibus vexebatur, et febri. Maculae in cute extabant nonnullae, exiguae, et coerulei coloris.

Hoc in statu curationem aggredior, et primo tinctura martis ex ferro, et potassae tartrato, deinde martis tinctura cum succo mali cydonii, malique apii expressa. His adjieci quotidianam potionem infusionis ex cortice peruano, quassiae, et

simarubae, vegetabilium jure carnium admixtorum usu minime praetermisso. Dentes autem pulvere FANTINI fricare (*), emplastrumque cicutae, et verbenae tumentis visceris parti apponere persuasi, et pro eo linire interdum regionem succo cicutae absque igne extracto.

Ex tunc morbus non amplius in pejus ruere visus; diu vero steterunt memorata symptomata, et frequenter adfuit febris. Hinc factum est ut, ferri praeparationibus nunquam posthabitis, pro chinachina uteremur foliis artemisiae coeruleo flore in pulverem redactis (**) ad drachmas tres quotidie, et inde etiam quatuor. His adjecimus cochlearia tres, aut quatuor aquae stypticae (***) quibus continere licuit ani haemorrhagias; at sanguis erupit e naribus, et semel ob epistaxis obstinationem ad LEDRANI methodum confugere opus fuit. Vere progrediente votis cessit curatio, et aestate ejusdem anni, postquam aquas supradicti balnei repetivit, lien qui in sinistram abdominis partem se reduxerat paulatim in sinistro hypocondrio se abscondit. Ferri autem tinctura, etsi omnia scorbuti symptomata cum febri abiissent, diu usus est. Easdem aquas petilianensis balnei insuper quotannis sorbuit; talique me-

(*) Crem. tart. p. drach. v.
Chinae p. drach. ij
Cinnamomi drach. j.
ms.

(**) Artemisia vulgaris *Linnei*.

(***) Vulgo *del condannato*.

thodo nedum bonam valetudinem, sed firmiorem quoque sanitatem obtinuit, et ea adhuc fruitur (quintus jam elapsus est annus) absque eo quod ulla vestigia existant in corpore vel primae, vel alterius praegressae affectionis. Molitoris autem munus deseruit, paternis arvis praeesse sat habens, id quod valetudini conservandae valde mea sententia contulit, et confert.

Historia XIX.

§. 119. Adolescentula semptemdecim annorum bilioso, ut videbatur, temperamento praedita, agrestibusque dicata laboribus, cui nomen Catharina *Spighi*, patria Petilianensis, sese mihi obtulit invisendam secunda die junii anni 1815. Haec, autumno praecedentis anni, intermittentibus febribus vexata fuerat, nec non diutino, et adhuc existente, splenis dolente tumore. Clorotica insuper erat, quamvis corporis habitu meliores e nubilibus coaevis aequaret.

Querebatur modo de molesta primum epistaxi, quam adhuc loquens comprobavit duarum circiter librarum sanguinis effusione, atque de maxima cum sceletyrbe corporis infirmitate. Pulsus valde debilis erat, lentus, et saepe irregularis. Corpus frequentibus, lividisque maculis undique aspersum, praeterquam in suris, cubitis, et facie. Harum magnitudo inaequalis erat: aliae enim ut peticulae, aliae ut lentes sese prodiderant: aliae vero, praesertim in femoribus, ad extensionem

pollicis et amplius, irregularem figuram praeferebant, velut ecchymomata nempe a contusionibus orta. Gengivae nec sanguinem stillabant; adhuc neque tumescebant: dentes immo sani, et hucusque perpoliti: facies ejus expallescebat, vel potius lurida erat: animus tristis, et hebes videbatur. Exanthema apparuerat, dum nox diei ultimae maij suum peragebat iter, absque ulla aegrotantis molestia. Praecesserant autem dolores vagi, satisque molesti in scapulis, renibus, et articulationibus. Epistaxim semel, et iterum apparatu Ledrani sistere oportuit. Interdum tamen sanguis stillavit e naribus ad duodecim inde dies, quo tempore e gengivis quoque sanguis modicus prosiluerat. Alvi dejectiones, praeterquam epistaxis tempore, quo nigerrimae, et solutae erant, ut plurimum regulares fuere. Febris, quae semper ferme mitis fuit, et erraticae intermittentis typo praedita, post undecim circiter dies aegrotam deseruit. Ipsa vero ad decimum quintum tantum, ex quo inviseram diem, decumbere coacta fuit. Tunc temporis maculae valde decolores factae sunt, et post mensem omnino evanuere. Lien naturalem ferme molem obtinuit, ac post quadraginta circiter dies sub hypocondrio se abscondit, nec amplius doluit: Curatio, quae ad mensem, et ultra producta fuit decotionibus nasturtii aquatici, beccabungae, et verbenae cum modica pulveris corticis peruani dosi, et guttis nonnullis acidi sulphorici suscepimus. Itemque cochlearia

nonnulla elixiris antiscorbutici BOERHAAVII (*) per diem sumere; et linimenta ex succo cicutae cum malagmate verbenae sinistro hypocondrio super imponere praecepimus. Cibum quotidianum ex vegetabilibus jure carnium commixtis iussimus; dein relictis quae ex pharmacopolis, ob miseram conditionem, comparare eidem gravia erant, decoctionibus tantum nasturtii, raphani, et trifolii curatio peracta fuit. Vehementias insuper vitis, vulgo *capreoli* accipere contundere, succum extrahere, eodemque uti pro elixire persuasimus. Ex ipsis autem tenerrimis quotidie etiam acetarium in escam sibi parare. Tandem martis pulverem ad corroborandum lienem proposuimus. Post duos circiter menses catamenia rursus apparuerunt bona cum valetudine; et aestate, ac autumno sequenti nullam passa est pirexiam. Sequenti anno nupsit, filios inde peperit sanos, et nullo alio morbo hucusque amplius divexatam vidi.

(*) *Hoc majori simplicitate ita possumus parare.*
℞. Semin. sinapis, raphani, erucae } ana unciae duo
Folia cochleariae
lepidii ana manip. duo
terantur in mortario lapideo
adde alcoolis lib. iij
Florum lupuli unc. j. *destilla.*
Dosis a cochlear. j ad jv.

MANTISSA.

§. 120. Hujusmodi scorbuti, quem maritimorum dicere possumus, eo quod a lienis vitio in corpore excitatus fuerit, historia aliqua cum cadaveris autopsia hic desiderari aliquibus videbitur. Afferre in animo reapse mihi etiam fuit, praesertim cum BONNETUS, *Jacobus* LIND et alii multi rejecerint non solum opinionem illorum, qui ab HIPPOCRATE sub lienis morbis scorbutum aliquando descriptum fuisse autumant, sed etiam ubi pathologicum lienis statum ipsi repererunt, complicationem tantum scorbuti fuisse affirmaverint (*a*). At cum fas sit unicuique medico hypocondriorum attactu lienis statum cognoscere in illis maritimis hominibus, quibus os putet, gengivae erosae sunt, ac tumidae, et alia insunt scorbuti signa; moratus essem tua tempora lector communibus aliis et penè supervacaneis historiis, etiam si cadaverum autopsia fultis; cum hujuscemodi exemplis LIND auctoritatem responsumque opponere cuilibet licuisset, quomodo et aliorum opinionibus observationibusque fecerunt.

§. 121. Non meis tamen tantum credere observationibus velim, sed FORESTUS, cui prae caeteris multa habenda est fides, eo quod in paludosa regione suas animadversiones scripserit, adire ut

(*a*) Traité de scorbut.

neminem pigeat exposco (*b*); et Etmullerum, qui, quamvis humiles Belgii valles non incoleret, in scorbuticis affectionibus ad splenis statum pro meliori cura rationem habendam esse dixit (*c*). Celsum quoque, qui Romae multos lienosos e proximis advenientes agris videre potuit, audiamus. = *Quibus magni lienes sunt*, inquit, *his gengivae malae sunt, os olet, aut sanguis aliqua parte prorumpit. Quorum si nil evenit, necesse est in cruribus mala ulcera, et ex his nigrae cicatrices fiant* = (*d*). Saepe saepius vero omnia simul haec phaenomena in lienosis notare contigit, quod animadversum fuisse ab Avicenna etiam (*e*), et Hyppocrate videtur (*f*). Adeamus inde illos ipsos medicos, qui affirmarunt perperam judicasse eos, qui a splene infarcto scorbutum gigni rebantur, nempe Lieutaud, et ipsum Lind; et in cadaverum sectionibus ab ipsis, et a primo praesertim, relatis (quamvis alio sub coelo introspectorum) videamus an sanus fuerit lien nec ne; et quoniam fateri non dubitant gravissima lienis damna in ipsis cadaveribus reperta ferme semper fuisse (*g*), quanti facienda erit conclusio inter scorbuti causas minime ideo recensedam esse lienis obstructionem

(*b*) Loc: cit. circa finem.
(*c*) Collegium practicum. loc. cit.
(*d*) De re Medica lib. 2. cap. 7.
(*e*) Lib. 2. Fen. xv. tract. 2. cap. 5.
(*f*) De affection. mihi pag. 196.
J. Cornaro interpet.
(*g*) Lieutand precis de la medicine tom. 1.

eo quod in scorbuticis interdum sanum repertum fuerit hoc viscus?

§. 122. Quantum ipsis placet, et aliis, qui in eorum descenderunt sententiam, dummodo de scorbuto accidentali sermo fuerit, qui in latere supernatante navium excitatur. Sed si de constitutionali loquamur, qualis est ille maritimae nostrae regionis, minime illis acquisco rationibus, et si corpora dum vivunt, vel cadavera nostratum explorare velint medici, non dubito quin semper in scorbuticis reperiant contrectationem incommodam, aut dolorem ab aegrotantibus in sinistro hypocondrio saepe accusari, aut lienem jamdiu magnificatum fuisse, vel post mortem teneritudine affectum (§. 86.), aut durum, aut alio modo vitiatum esse; quomodo in constitutionali scorbuto vitiatum apud Scotos reperiit Buchan (*a*). Quid plura? Etiam si scorbutus constitutionalis ab alia causa originem suam ducere posset, demeretur aliquid observatis, manifestisque factis?

§. 123. Probatissimum igitur apud nos erit consilium, statim ac de scorbutica dispositione lienosis inest periculum, curationi manus admovere, et antiscorbutica simul, et ea quae contra lienis obstructiones pollent remedia conjungere. Sic cum simplicis cerevisiae potu (*), vel cerevisia

(*a*) Medicina domestica cap. xxxv. §. 1. art. 2.
(*) Vide Art. XII. De cerevisiae usu in maritimis.

medicata (*), ferri praeparationes praebere confert. Subacida inde vel in escam, vel in potum, et acida vegetebilia, praesertimque mali medici, aut mineralia, in decotionibus plantarum quae contra varios scorbuti gradus adhibentur, nec non alia remedia juxta morbi compilicationes usurpanda sunt (**). Post resolutionem autem tumentis lienis, praesertim si nimium celeriter facta fuerit, nisi cum illa omnia scorbuti phaenomena abiverint, antiscorbutica minime relinquere expedit, sed tonicis immo, et antisepticis excellentioribus roboranda. Sanguinis enim crasis quin tunc melior evadat ad dissolutionem aliquando quam maxime promptam fieri sequens demonstrabit historia. Utinam lienosi, saepe nimis de salute, et integritate lienis minime anxii salutare sibi sumant monitum!

(*) ℞ Cerevisiae lib. sex
Radicum raphan.
Folior. cochlear.
nastartii *ana* unc. ij. Post horas xxjv.
cola, *et adde* Nucis moscatae. drach. ss.
Corticis winterani drach. j.
Sacchari unc. quatuor.
Dosis. ab uncias ij ad sex et amplius.

(**) Aliqui *Worth*, uti possunt; ii nempe quibus magis quam mihi comperta fuerit ejus virtus in scorbutum, quam nondum certam habere potui, neque aliis remediis praestantiorem.

ARTICULUS X.

POST CHRONICAM SPLENITIDEM, ET INVETERATAM LIENIS OBSTRUCTIONEM, REPENTINA RESOLUTIO OBSTRUCTIONIS, ET FEBRIS GANGRAENOSA.

Historia XX.

§. 124. Rosa *Moroni*, vulgo *Cucca*, e Petiliano, agricolae satis divitis uxor: temperamento bilioso, et adusto corpore a natura praedita, domesticis laboribus, et interdum ruralibus sine modo vacare assueverat; diaeta insuper stomacho, atque saluti suae inimica utebatur. Dentibus namque plerisque cassa, et ingenti lienis obstructione, quae prope umbilicum pervenerat, et ad ileum usque descenderat afflicta, cibo quolibet duro, quod viro, filiisque robustis agrorum cultoribus parabat, sese nutriebat. Dentibus vitio scorbutico, quod una ferme cum lienis duritie ab annis tresdecim apparuerat, fuerat orbata: pauci qui supererant carie erant afflicti. Lien vero ita durus ut lapis; ejusque magnitudinem atque duritiem non ego solus, sed adsidentes cognoscere jamdiu potuerant, et de eo conquerentem audiverant, ex quo praedecessor meus, *Laurentius Spagna*, illius curationem aggredi volebat. Mihi autem hic morbus innotuit ultimis hisce temporibus, cum mulier febri tertiana rheumatica laboraret, annum agens quinquagesimum secundum,

elapso mense maij anni 1821 a qua quintum post accessum modico chinae usu liberata fuit.

A levi isto dum convalesceret morbo contigit permagno animi pathemate vexari ad nonnullos dies; et septimus erat ex quo febris effugerat, cum iterum febrile frigus, stomachi, lumborum, et ossium cum dolore eam aggreditur. Quadraginta octo circiter post horas rursus advocor: synocham simplicem agnosco, causas sciscitor, et illico magnesiae non modicam dosem sumere jubeo. Altera die, nempe quarta, chinae decoctionem sorbendam proposui; sed hanc recusavit aegrotans. Febris mitis valde videbatur, nullo cum capitis dolore, aut gastricismi symptomate, praeter sitim, qua valde affligebatur: sano more mejebat, et satis gustabat: brevi tamen indulgebat somno. Hac die iterum examinare volui lienis statum, quem quidem, facile ob abdominis macilentiam, talem reperi qualem transacto mense repereram; statui idcirco alia die curationem ejusdem aggredi, praesens namque morbus naturaliter cedere videbatur. Sexta mane apirectica fuit: e lecto surrexit: bene gustavit; et ego promissam curationis methodum praescripsi. Per noctem vero febris recruduit, et statim chinae dosim, quam antea imperaram a cognatis paratur. Surgit septima denuo per diem; at pomeridianis horis gravi corripitur dolore in sura dexteri pedis, qui dolor praeacutus sensim ac cito evadebat. De erysipela primum cogitatum fuit, et de hirudinum applicatione: at satius postea duximus

aromaticis decotionibus partem fovere. Interim aegra copiose loquebatur; anxie spirabat: vexababatur siti, lingua, et os nigrescebant; livescebat vultus. Chinam quoquelibet modo introducere cum camphora jussi. Domesticas autem componere res, et de anima ei cogitare suasi, ut revera fecit. Per noctem phlyctaenae multae, et permagnae in sura. Totus articulus, qui vespere tantisper tumebat, rubescebatque, mane tumidus et lividus apparuit: livescebant insuper brachia, et pectus. Abdomen meteorismo distenditur; quod quidem lienem magnum mihi tunc reperere quaerenti prohibuisse credidi. Multiloquio delirium succedit: anxietas maxima, tendinum subsultus, convulsiones, pulsuum retractiones, dexteri pedis primum, et inde totius corporis frigus mortem praecessere, quam octo post horas obiit: nempe vigintiquatuor circiter ab invasione acuti doloris in pede.

§. 125. Novus etsi non esset in arte ultimus hic morbus, tam inopinatae mortis causa, Hyppocrates namque, Petrus a Castro, Richa, Burserius, et Barzellotti illum descripserant (*a*): cum tamen sit morbus, sorte rarus, ita ut semel tantummodo unicuique illorum videre occurrerit: mihi autem in praxi sexdecim annorum cum novus fuerit, autopsiam rite instituere non abs re duxi.

Mos est Petilianensibus, sicut et aliis minus cul-

(*a*) Epitome di Medicina Razionale T, I.

tis provinciarum populis cadavera mortuorum non solum magna cognatorum, agnatorumque caterva ad tumulum comitari, et super ipsa flere, sed etiam medicis denegare. Interdum tamen secandi veniam obtinui; at saepius negatum id mihi fuit, ut tunc contigit. Sed quod palam non poteram, philanthropi cujusdam viri auxilio, patria ex integro observata lege, furtim peregi. Tanta me coeperat cadaveris hujusce statum investigandi pro bono humanitatis, et artis, aviditas. Una igitur cum laudato comite D. L.... *Denci*, quem gratitudinis causa nomino, examen aggressus sum illa ex parte, qua ultimus fatalis morbus sese prodiderat. Phlyctaenae omnes, a malleolis ad genu extensae, ruptaeque nigram ostendebant subpositam carnem. Tantus porro fuerat fluxus nigerrimi humoris, ut tibiale non solum, sed et funebre indusium ad renes usque tingere, et madefacere potuerit, ac subter feretrum stillaverit. Tumens esse abdomen, lividum os, et carnes jam indicavi; magnis nunc vibicibus aspersum cadaver reperi. Flaccidae praeter morem mammae: partes externae pudendi tumentes, et nigrae. Priusquam abdomen inciderem explorare iterum lienem volui, sed frustra. Mirabundus, in permagnum meteorismum, quamvis dubitans, culpam desiderii rejicio. A totius peritonaei normali incisione intestina valde distenta, leviterque inflammata impetu prosiliunt, nec adhuc lienem videmus, neque ullum liquorem, qui hujus visceris suppurationis ideam praebere

posset. Manu igitur sinistro sub hypocondrio abditum viscus inquirere oportuit: oculis vero credere non poteramus eumdem esse, qui in viventi umbilicum, et ileum sua amplitudine ferme attigerat, lapideam exhibuerat duritiem, et septem circiter librarum pondus aequare judicabatur; cum modo naturalem magnitudinem vix excederet, mollis esset, neque duas libras aequaret. Rugis autem undique exaratum erat, praeterquam in superiori extremitate, ubi callosam texturam induerat, per unius pollicis circiter spatium. Nil singulare in aliis visceribus, nec aliud, quod observare non contingat in aliis acutis febribus: venosum vero systema in minimis quoque vasculis sanguinis plusquam solet redundans apparuit. Adeps undique lutei coloris, et in omento ferme deficiens erat. Caput secare non conferebat. Cadavere apte reposito, lienem de more examinaturus mecum tuli. Membrana illa rugosa nulla in parte, praeterquam in supra designata, non naturalis erat: aëre per vasa majora insufflato valde distendi poterat. Hydrargyrio autem injecto, viscus mole ferme duplex apparuit. Incisum pluribus in locis mollissimum parenchyma armatis oculis conspexi; sed nullam corruptionis notam in eo reperi: vasa vero lucem naturali majorem habere videbantur, multaque sanguine ferme cassa; idque clarius videre potui repetitis ablutionibus. Callositas supra descripta cuneiformis erat, apice intus verso; et circa illa parenchyma magis durum.

MANTISSA.

§. 126. Opportunitatem ad hanc febrim in muliere facile quidem invenire possumus ex considerationе temperamenti, scorbuticae diathesis, animi tristis, mali nutrimenti, vitiatae digestionis, recentissimique animi pathematis. Sed haec omnia quamvis causas fuisse praedisponentes nemo inficias ire velit: cum tamen in aliis multis frequenter jam adfuisse, et etiam nunc adesse contingat, dum gangraenosa nihilominus febris, sorte, rara est; perturbationem maximam quoque admittere oportet in solidis non solum, sed etiam in fluidis, quae inopinate prodeat, quomodo autumavit BARZELLOTTI (*a*). Unde fuerit autem hujus maximae perturbationis primordium liceat quaeso investigare.

§. 127. Seposita interim explicatione originis febris gangraenosae GALENI, venenum nempe adfuisse a natura protrusum in sura (*b*); itemque a MERCURIALI emissa hypothesi ignoti scilicet veneni in corpore geniti pedem in primum occupantis, et demum venenatos, putridosque halitus ad praecordia, et cerebrum transmittentis; arthritici humoris metastasis suspicione demum sublata, eo quod nunquam arthritide laboraverit mulier; atque etiam erysipelatis, quia abfuere

(*a*) Loco cit.
(*b*) Commen. in I. Epid. Hyppocr.

quae sunt erysipelatis propria; rejicere etiam oportet ideam atrabiliaris in abdominis visceribus coacervationis, ac bilis depravationis partis siderationem, et mortiferam febrem inducentis, quia integrum erat hepar, nec morbosa bilis apparuit (§. 125). Restat igitur in permagna lienis obstructione praedispositionis item, et causae proximae primordia quaerere; et hinc solidorum, et fluidorum gravissimam affectionem, cujus necessitatem intelleximus (§. 126.), repetere.

§. 128. Hewsonio enim, vel Moreschio circa lienis functiones, assentiri placeat (*vide in introduct.*), ab hujus tamen visceris vitiata natura, prohibitisque functionibus, partis cujuslibet corporis nutritionis defectum statim cognoscimus; ideoque et solidi irritabilis stupiditatem, et nervosi systematis pro illius infirmitate sensibilitatem adauctam, admittere oportet. Ex his quae conferunt ad inveteratas obstructiones tollendas, et ex frequenti observatione ulcerum in suris lienosorum superiora argumenta firmantur. Sed causa proxima gangraenosae febris nondum est tota. Necesse erat, ut reor, non ea tantum quae supra memoravimus (§. 126.) adesse in muliere; sed aliquid insuper in humoribus non venenati quidem, non putridi, non atrabiliaris, sed praeter id quod in lienosis saepissimae reperitur, supra modum vitiati. Et hoc in muliere pariter invenio non in diversa certe, neque in nova vitiati humoris adveniente qualitate, sed potius in quantitate superveniente, magna nempe resumptione

humoris in liene stagnantis, quae repente facta, et in totius corporis liquidis affusa, offendit illico praeexistentem opportunitatem (*). Facilis hinc hujus humoris in sura protrusio, eo quod in suris lienosorum pathologica ferme semper adsit conditio; ita ut si foemina vivere potuisset, in utraque forsan sura ulcera, vel phlyctaenas vidissemus.

§. 129. Causa autem unde talis humor in circuitum actus fuerit adhuc latet, ni forsan iracundiae repetitos accessus, dum novissimae febres aderant, incusare velimus. Sed causas causarum non semper est medici investigare, aut illarum actionis modum intelligere; quomodo difficillimum est febri gangraenosae utiliter mederi.

§. 130. Supervacaneum esset ideo iis, quae a practicis celeberrimis dicta fuere de chinae, camphorae, elixiris vitriolici, et *Mindereri* spiritus convenientia aliquid addere (*a*): nisi quod haec citissime adhibenda sint, ut ex illorum exhibitione aliquid boni sperare liceat; et monere etiam juvenes, ut a sanguinis missione probe caveant, observatum enim est, labente aetate, et melancolicis, aut alia infirmitate afflictis hominibus fe-

(*) Scitu necessarium est quod mihi narravit fratria nostrae mulieris: hujus nempe patrem pariter lienosum fuisse, et eodem morbo, nulla alia praecedente febri correptum, in senio viginti quatuor intra horas periisse.

(*a*) Burserius Instit. Med. Pract. T. II. §. 230. et Barzellotti l. c.

brem hanc supervenire. Pariterque ut ab epispasticis, et cucurbitulis, praeterquam in cervice, delirii supervenientis metu, ut plurimum se abstineant. Tumenti dolentique parti hirudinum applicationes, et scarificationes a nonnullis indicatas (*a*), an reapse utiles evadere possint maxime perpendere quoque interest; idque ob eamdem rationem, qua phlebotomiam minus aptam esse dicebam. Ideam tandem amputationis articuli ut crudelem, et prorsus inutilem rejiciendam puto; nec locus eidem esse potest, nisi postquam hujus febris superato periculo, gangraena pedis factus esset localis morbus, qui rursus vitam minitari posset; sed hoc chirurgiae, et medentis criterio in peculiari casu aliquo amandandum.

§. 131. Splenis itaque affectionibus, morbisque iisdem subsequentibus, meliori quo potui modo perpensis, operae praetium videtur descendere ad causas splenitidis, et specialem hygienem ex quo diaeta, et methodus prophylactica sive praeservativa eruatur. Diaeta enim non solum morbi tempore uti oportet, sed sanis quoque hominibus confert, causarum nempe adventum vel prohibendo, vel imminentem profligando morbum.

(*a*) Burserius l. c. §§. sequent.

ARTICULUS. XI.

SPLENITIDIS CAUSAE.

§. 132. De splenitidis igitur causis, etsi nonnulla passim in animadversionibus ad historias dixerim, non abs re tamen erit has omnes, tabula quadam collectas, sub oculis uno obtutu ponere. Nullo modo praetermittenda est interim consideratio splenitidem non esse unius cujusque anni partis, sed autumnalis praesertim, et hyemalis, sive in frigida, et humida tempestate vicissitudinibusque aëris exoriri facilius, quam aliorum temporum decursu; acutam apparere frequentius sub ver: chronicam labente aestate grassari; pariterque non omnium esse regionum, sed praesertim humilium locorum, et ubi insalubres sunt aquae, neque omnium pariter aetatum, aut saltem non eamdem in qualibet aetate. Infantes enim, et puellae chronica facilius corripiuntur, quam acuta splenitide, et illius finis est ascites. Adolescentibus utriusque sexus utraque vexari contingit: foeminae vero chronica frequentius cum clorosi laborant, et recidivis maxime sunt obnoxiae. Porro lienis durities, abscessus, et post splenitidem ascites, scorbutus, pervicax ulcus in uno, vel in utroque pede sunt omnium ferme aetatum: at phthisis spleno-pulmonalis exacta adolescentia; visceris gangraena exacta juventute spleniticum minitantur. Senescentes vero incolae neque

chronica, neque acuta splenitide correptos vidi ni prius, et jamdiu male affectus lien in illis extitisset. Quod si evenerit aetatem hanc scorbutus, vel marasmus aggredi solet. Frequens est etiam inter illos, exsiccatis repente pedum ulceribus, factaque in pectore metastasi properanter ad tumulum descendere.

§. 133. Stimuli cujuslibet naturae copiam in liene praecipue insidentem, nervorum, vasorumque substantiam diversimode irritantem multo cum sanguinis affluxu, unde varii phlogosis processus, ipsiusque febris manat intensio, causam proximam existimo. Splenitidi tamen locus esse non potest nisi pathologica insit lieni conditio (§. 36); absque ea enim causa nullam haberet vim in liene; neque per causas occasionales inflammatio excitaretur potius in liene, quam in aliis partibus, etiamsi sthenica, vel hypersthenica diathesis adfuisset.

§. 134. Causa occasionalis pariter ad morbum necessaria est, alioquin minime daretur intelligere cur tot inter homines omnium aetatum, diverso etiam sub coelo natos, qui aquis impuris pariter adomevent ora, et profestis saltem diebus vallium paludosarum insalubritate prae caeteris teruntur, cur inquam illis qui in maritimis nuperrime advenerant, aeque ac veteribus incolis sub quibusdam tantum conditionibus lienis affectiones superveniant.

§. 135. Principes inter occasionales causas splenitidis merito recensetur frigida, et humida

aëris constitutio, praesertim dum corpus calefactum fuerit a labore, vel sudore madidum, vel itinere pluvioso sub coelo lassatum offenderit. Hanc sequuntur violenti vomendi nisus, aut aliae visceris graves commotiones, veluti saltus, lapsus, contusiones, aut quid hujusmodi; nimia ciborum parvi nutrimenti ingurgitatio, ut messores faciunt, et alia graviora errata in victus, potusve ratione.

§. 136. Oritur aliquando, vel rursus exoritur ab exsiccatione ulcerum in pedibus, et retropulsione alicujus exanthematis, ut videre contigit anno 1817. peticularum epidemia memorabili; frequentius vero a catameniorum, et haemorrhoidalis flusus suppressionibus. Effroenis, et impotens ira, aut forte aliud pathema inter occasionales causas recensendum est: Interdum per gravia, et deprimentia animi pathemata, et iis quibus mos est in publicis, privativisque negotiis gerendis immensos exantlare labores, vel eo quod vitiata sit sanguinis crasis, vel retardatus humorum cursus, in visceribus imi ventris chronicae, et occultae parantur phlogoses, quae quidem etiam extra humiles Italiae locos reperiuntur.

§. 137. Frigus febrile intermittentis febris alia est occasionalis causa splenitidis, quae chronica ut plurimum evadere solet, vel saltem ansam praebet pathologicae lienis conditioni. Illo enim tempore sanguis in liene currit majori copia, quam alio. Aegrotos autem, qui simplicis, vel duplicis quartanae accessionibus, praeter ingenti

frigore vomitibus laborare vidi, chronica splenitide inde laborantes, et lienosos in sequentem quoque annum reperi. Id autem fiit quod vacuato, et compresso stomacho occasionem majoris extensionis a sanguinis afflusu nanciscitur lien; unde etiam tunc temporis plusquam in aliis saepe splenis dolor efferatur.

§. 138. Tenacitatem quoque humorum qui in liene manent adauget frigus; et qui frigori supervenit calor quin congestiones factas exsolvat, rarefactis iisdem humoribus, distrhait quandoque, atque interdum disrumpit duplicis systematis vasa. Hoc autem non observatur in omnibus qui intermittenti febri, et ipsa quartana laborant, quae ob frigoris longiorem parosysmum, ingentemque quae comitatur sitim, has inter majori pollet virtute ad inducendum splenis malum habitum; sed in illis prae caeteris obsvervatur quibus infirma inest constitutio, et in mulieribus ideo, puerisque hanc chronicae splenitidis occasionalem causam frequentius quam in aliis deprehendi.

§. 139. Alia item ex causa, quam collegas meos spero minime negaturos fore, lienis inflammatio procedit; ex intempestivo inquam, aut excedenti usu corticis peruani. Hoc ante me suspicatus est Pringle in humilibus Belgii lociis anno 1742 (a). Broussais vero novissime dedit nobis historiam cujusdum militis Utinii tertiana febri laborantis,

(a) Malattie d'armata.

quem corticis usus ita pessumdedit, ut post nonnullas, variasque morbi mutationes trium mensium spatio chronica peritonide cum ingenti lienis tumore inde excesserit (*a*). J. Chiflez id pariter affirmaverat (*b*); et hanc ob causam Ramazzini objecerat Cl: Tortio ex costicis usu lienes obstructos notasse; Tortius aliunde praxim suam ab omni culpa purgare conatus est, et R. Morton sententias *Jacobi* Chiflez falsas esse demonstravit (*c*). Utrique, ut reor pro veritate decetabant (libet namque silere de aemulatione Ramarzinium inter, et Tortium). Tuebatur Tortius factis, ac rationi consonam suam prudentem praxim (*d*); cum Ramazzinio quicumque de corticis abusu practicos arguebat vera pronunciabat. Nonne adhuc extat? Passim aegroti aestivum post solstitium reperiuntur, qui medicis chinae usum suadentibus, unanimiter respondent » jam satis, nonne vides? (abdomenque protendunt) manet adhuc in ventre quem accepi cortex » manifesta loquor; sed aures continemus, tandemque persuademus miseris; inde vero disceptamus an per intermittentem febrim lienosi evaserint, vel obstructio lienis virtutem ademerit chinae, cum nihilominus in aegritudine perseverare (*),

(*a*) Histoires des phlegmasies, ou inflammations chroniques T. II. Observ. 23.
(*b*) Nei saggi d'Edimburgo.
(*c*) De cortice Peruano, et virtute ejus exercitationes.
(*d*) Vide Terapeuticam specialem.
(*) Hoc generatim pendet a considerationis defectu cir-

vel statim relabi illos conspicimus. De mente oculisque velamen auferamus oportet; id quod vocamus splenem infarctum, gravemque lienis obstructionem, nil aliud est nisi effectus chronicae splenitidis, quam non per tertianae, quartanaeve febris tantum frigus, (§. 126.) sed aliis etiam de causis, ab inopportuna nempe diaeta, atque etiam ex medendi methodo partam existimare debemus.

§. 140: Ex phlogosi tandem, et alia quoque laesione proximarum partium oriri potest splenitis, atque tunc symptomatica, aut sympatica dici ut plurimum potest, uti contigit in sinistri pulmonis inflammatione, in hepatitide, in paraphrenitide, gastritide, et praesertim in peritonitide non raro observare (*): alias vero est complicatio morbi, non symptoma alius affectionis (§. 18).

§. 141. Ne autem nos praejudicium insalubri-

ca diathesim febrium intermettentium, quam luculenter illustravit Cl. Rubini (*vide illius operam coronatam ab Academia Mutinensi*) non solum morbi initio, sed etiam per illius decursum.

(*) Mulieri Piceni, *Rufina Bocci*, Suanae cum degeret mederi mihi contigit anno 1820 puerperarum peritonitide laboranti, et splenitidi simul correptae. Lienosa vero a multis mensibus erat, ita ut splen dimidium abdominis occuparet. Iteratis venae sectionibus, lochiorum reditu, et abundanti urinae copia cum gravi sedimento liberata fuit a peritonitide, lienis inflammatione, et physconia, ita ut per hanc novam inflammationem assecuta sit salutem, quam aliis remediis antea obtinere non potuerat.

tatis aëis, sive locorum lienis veros morbos cognoscendi exsortes faciat, pacatum animum in investigatione visceris status servare maxime oportet. Dum secarem humilium locorum habitantium cadavera, quorum abdomen physconia laboraverat, hoc viscus non raro sanum reperi etiam post longum morbum, et febrium intermittentium decursum. Abest enim aliquando a corporibus opportunitas ad morbum, et in visceribus deest illa pathologica conditio, unde nobis fas sit endemicos, epidemicos, et ipsos contagiosos morbos declinare.

ARTICULUS XII.

Prophylactica, seu praeservativa methodus.

§. 142. Quoniam plerique inter maritimae regionis habitatores, et ex iis praesertim quibus commode vivendi vel corpus salubriter enutriendi, tuendique potestas, atque consilium datum fuit, a splenitide non solum, sed etiam a pathologica visceris conditione generatim immunes esse solent; eorum vivendi methodus in omni corporis cultu, quoad fieri potest, cujuslibet status hominibus accomodanda est; quia non semper est opulentia, sed prudentia potius, quae a multis morbis homines praeservat.

§. 143. Ab aquis igitur primum camporum, fossularum, stagnantium rivulorum veluti a veneno abstinendum per omne anni tempus jubebimus; agrorumque cultores, pastores ovium,

viatoresque humilium locorum circa hoc periculum edocendi sunt. Flumina maritimorum saepe meliorem non dant aquam, quam Sequana in Gallia, Nilus in Aegypto, et Ganges in India. Rivuli enim, dicam cum BOERHAAVE, alvei, et scaturigines assumunt genium illius materiae, quae vias obsidet per quas aqua defluit (*a*). Fontium autem perennium ni leves, purae, et limpidae reapsae sint aquae distillatione purgandae sunt antequam quisque his utatur. Putei aquarum viventium (quos inter magni, et profundi, nisi salsae sint aquae, vel terreis principiis abundent caeteris sunt meliores) et cisternae, quarum aedificatio, a VARRONE (*b*), PALLADIO (*c*) et COLUMELLA (*d*), aliisque jamdiu commendata, nunquam satis accepta fuit maritimis, vel rite ab illis exculta, bis saltem per annum mundandae. Has vero quoniam fodere in volcanico topho vel arenarea petra, persaepe absque laterum tunica, in nonnullis maritimis locis alias mos fuit, ista ditare tunica, multae aquarum copiae capaces reddere, cella purgatoria donare, et aquis pisces insuper addere oportet; nec impensis tam necessariis parcendum, sive in oppidis a magistratibus, sive prope praedia a possessoribus (*) cisternae

(*a*) Elementa chemiae T. I.

(*b*) De re rustica Lib. I. cap 11.

(*c*) De re rustica Lib I. Tit. II. et 17.

(*d*) De re rustica Lib. I. cap. 5.

(*) Multa in praedia ob aquae pessimam qualitatem integras familias febre, et lienis ingentibus obstructionibus

construendae fuerint (*a*). Tecta domorum, ut purior sit pluviatilis aqua, cum musco pleraque circumlita sint, diligenter verrenda ante pluvias, et tubi detorquendi, cum primum inde ceciderit aqua: atque ad id etiam sub gravissima poena possidentes domorum obstringere oporteret.

§. 144. Cum frequentissime vero contingat magistratuum oppidorum incuria, et ut nos etiam accusem, medicorum dissimulatione, ut aquis turbidis, et terreis principiis redundantibus uti populo necesse sit, earumdem aquarum filtrationem ut sabulo praeparent, vel destillatione ut illas purgent hortabimur, donec magistratus melius, ac firmiter propriae, populique saluti provideant, cum modo aquarum ductus in maritima provincia sint multis in locis neglecti, et ab imperitis caementariis disrupti saepius quam restituti.

§. 145. Hac methodo omnibus quibus cordi est sanitatem tueri aquam ad bibendum comparare puram licebit, nec non ad quemlibet culinae usum, praesertimque in pane conficiendo, cujus praestantia, si aqua nempe optima paratus fuerit, caeteros inter panes sensibus etiam apparet,

destructas non semel vidi, et hanc ob causam multae rurales domus colono carent non solum in Petilianensi ditione, sed etiam per universam ferme Thuscam, et Romanam maritimam provinciam. Quale damnum possessoribus! Quantum agriculturae, et provinciae commercio?

(*a*) De necessitate puteorum, atque cisternarum in maritimis. Vide Doni. *De restituenda salubritate agri romani.* pag. 158.

ut Pisis contigit videre: quod quidem non erat ante Ferdinandum I. M. H. D. quo tempore Pisani quoque cives, ob aquas impuras puteorum, ut ait CARTEGNI, obstructionibus viscerum imi ventris, hydrope, atque cacochymia vexabantur (*a*). At cum non omnibus familiis, nec in omnibus locis, ob lignorum, vel carbonis praetium, aquam stillatam facile sit sibi comparare, huic succedere potest filtratio juxta methodum LIND, aut LOWITZ, quae neque difficilis, nec multae expensae res est (*); pauci enim uti possent depuratoria fonte DD. SMITH, et CHUCHET, aliisque methodis.

§. 146. Crudele interim, vel saltem minime sequendum videretur consilium, si messoribus, aliisque camporum cultoribus, viatoribusque persuadere vellem sitis potius ferendam, quam aquas camporum, praesertim dum calent ingerere. At

(*a*) Del sito, e venti della Città di Pisa.

(*) Impleatur sabulo dimidium dolii, in cujus antica, et inferiori parte sit orificium crassa tela lini intus praeditum; inde aqua repleatur vas: quae stillat ex inferiori orificio pura erit. Quod si purissima adhuc non scateat sabuli strata adaugenda sunt donec purissima exeat. Post mensem totum sabulum renovare expedit: sed in renovationis periodo aquarum qualitatem respicere primum oportet.

Methodus vero LOWITZI Petropolitani ad expurgandam aquam putridam, et graveolentem haec est. Accipiantur igniti carbones, terantur donec ex illis fiat finissima pulvis; infundatur ex ista pulvere cochleare unum in quodlibet aquae cyathum; postquam subsederit colatur per laneum papirum, vulgo *carta suga*, quae guttatim exibit optima erit ad bibendum aqua.

fatales multi casus, ob sitis nimiam, ut ita dicam, intolerantiam, post saluberrimae etiam aquae potionem, dum corpus aestuaret observati, id imperant. Quid dicendum de impuris? Non est modo hujus libri rationes, et historias veritatem hanc comprobantes adducere, sed quae sitim possunt, ac solent tolerabilem reddere remedia potius affere.

§. 147. Postquam unusquisque suam vino meraco, aut modica, et optima aqua permixto cucurbitulam, vel oenephorum vacuaverit, frustula radicis liquiritiae, aut succum ejusdem condensatum juvabit ore retinere: probatissima est enim, dicam cum Murray, observatio haec sitim compescere. Pustilli saccari, et hordei decoctione formati utiles pariter esse possunt. Satius tamen foret si messorum duces unicuique praeberent cyathum aquae in qua soluta fuisset acidi tartarosi, et saccari par dosis, quae mire recreat, et sitim pellere valet; sed isto quoque facilius promptiusque adversum sitim remedium pauperrimae hominum classi indicabo. Ingerat quisque summo mane, et post prandium medullam panis optima saturatum aqua. In sanis hoc, et splenitide laborantibus hominibus probatissimum est.

§. 148. Caeterum damnanda omnino consuetudo, quae apud hujusmodi homines invaluit, male se enutriendi, et ingerendi aquas in arvis, domi vero et frequentius in caupona (*) se vino ingur-

(*) Parmi les sources le plus fécondes des dérangemens

gitare: aquas quaslibet potare dum labori operam dant: vina, et igniferos liquores dum otio indulgent.

§. 149. Vinum optimum, et meracum, servata temperantia, cum homines reficiuntur laboris tempore; caeteris certe anteponendum esset potionibus, etsi aquae maritimarum regionum, quoad fieri potest, redderentur salubres; nec obstructiones a vino tam certe timendae sunt, quantum Redio visum est, qui maritimas forsan nusquam incolavit regiones (*a*). Absque vino enerves fierent homines sub non saluberrimo coelo viventes; ad labores impares evaderent, et minus servarentur.

§. 150. At non omnia vina saluti pariter conferunt. Generatim quae caput non gravant, nec stomachum, et mictu citu redduntur prae caeteris eligenda, et lienosis praesertim his uti expedit. Hinc recte Salernitanus codex

» *Vinum sit clarumque vetus, subtile maturum* »

Quae navigata appellantur haud certe optima sanis, obstructionibus vero, et ventriculi infirmitate obnoxiis inimica maxime reputanda sunt. Non fert namque ista stomachus, et eorum adulterationes, atque morbi statim sensibus non ap-

de l'economie animale, l'abus des alimens, et des boissons doit tenir des premiers rangs.

Roussel. *Systême physique, et moral de la femme, et de l'homme Part. pr. Chap. VII.*

(*a*) Consulti, e lettere.

parent, ut in aliis vinis. Falsificationes dein, et morbos vini quamvis liceat in his quoque deprehendere (*a*): tutius tamen est consilium sinceris et indigenis uti vinis; et subjectis operariis hujusmodi praebere conscientia urget, et vera dominorum utilitas.

§. 151. Quoniam vero defectus vinearum aliquibus in locis maritimae nostrae regionis, aciditas ejusdem vini in aliis, et interdum luxus imperavit sanis hominibus domestici vini se non contentos saepe invenire, Italiae extra fines, et praesertim Hetruriae pro communi saltem potione nollem ut sibi compararent. Addam insuper in Senensi inferiori provincia Sorani, et Petiliani vina generatim caeteris praestare, et talia esse, qualia Salernitanus amat reperire

» *Fortia, formosa; fragrantia, frigida, frisca* »

et si gens ista, quae nullum ferme fructum ex tritico, aliisque cerealibus agricolae respondentem laboribus obtinet, vinearum plantationibus, curae et vino conficiendo melius intenderet, viasque stabiles ad exportationem sibi compararet ditior in perpetuum fieret. E Romana provincia Senensi proxima saluberrima, et palato pariter ac stomacho grata praebent vina Cryptae Castri, Faliscodunum, et Urbsvetus. Ea inter, quae ad Senense, et Romanum litus appellunt Syracusana,

(*a*) Omodei. Polizia economico-medica delle vettovaglie. Milano 1806. Ricci, e Pozzi. Del vino, e sue malattie.

et Calabrica meliora habentur; quae ex Igitii, et Aetaliae insulis veniunt bona pariter censentur: alia vero quae ex Corsica, Sardinia, et ex aliis Neapolitani Regni partibus proveniunt obsunt non infrequenter saluti; magis autem cum impuris aquis praebentur permixta, ut ferme semper fit.

§. 152. In maritimis nonnullis nostrae Italiae locis ubi vina desunt, neque ex proximis educere sufficit, meliori forsan consilio vino navigato subrogaretur cerevisia; dummodo crassa, et foeculenta non esset; satis nempe, et bene fermentata ex indigeno tritico, vel potius ex hordeo confecta, humulo lupulo nunquam praetermisso. Meliori inquam consilio pro totius populi salute, quia clara, et veterata cerevissa vina illa ex Corsica, et Sardinia bonitate superat; nutrit enim, vires praestat, urinam provocat, et scorbuto maxime resistit: meliori consilio quia, deficiente vino, magni vallium possessores, qui ingentem in horrei frumenti copiam condunt, quin inde semper eamdem sanam educant, et interdum vendunt quanti ipsis stat, quandoque minoris (*a*), vallesque in quibus plerumque non serunt hordeo replere possent, si cerevisia vel mercaturae apud nostrates esset articulus, vel unanimiter agricolis suis illam pro vino praeberent domini.

§. 153. Abusus vero vini, liquorumque spiri-

(*a*) *Damna quae patiuntur non raro possessores, et mercatores maritimarum regionum vide fusius apud* Bandini. Discorso sù la maremma Senese.

tu redundantium in maritimis, et hujus abusus effecta quis posset absque horrore considerare, cum monstrum ingens apparuerit illis ipsis, qui ter facientes, ut ita dicam, tantum viderunt (a)? Quis, considerans tot oppida ab infima plebe ad optimates, et honestae cujuslibet disciplinae, vel artis cultores vino saepe demersa, non illacrymet desiderio severissimae legis contra ebrietatem, cum stimulus honoris jam abierit ex quo coepit esse licitum quod pubblicum est? Prorsus inde inutile illorum sub oculis ponere vel moralem Philosophum (b), vel eximi alicujus scriptoris contra hos abusus perorationem, salutisque hinc damna demonstrantem (a), ex quo extiterunt medici nonnulli Brunonem male interpetrantes, insalubritatemque aëris male intelligentes, qui edito etiam propriae intemperantiae exemplo, maritimos in hoc coeno, demergunt. Oh coenum societatis, et medicinae portentum!

§. 154. Ridendum vero, si hominum miserias ridere quis posset, intemperantiae hujusmodi multos indulgere, ut insalubritatem aëris, quomodo dictitant, expellant, et postquam imi ventris inflammationes, obstructiones, lentasque febres contraxerint, velut male cordatus ille

(a) Santi. Viaggi T. II.
(b) Epistola LXXXIII. ad Lucilium, et alibi.
(c) Vide inter caeteros Riccobelli. Danni provenienti alla salute umana dal moderno abuso delle sostanze spiritose. Milano 1817.

maritus, cujus ZACCHIAS meminit (*a*), omnem morborum culpam in aëris pravitatem rejicere, diligentes in suorum malorum originibus accusare potius honesta, et fortuita, quam turpia, et ab ipsis expetita. Hinc falso saepe quaeruntur maritimi de natura sua: quod imbecilla, et aevi brevis. » Oportet, dicam cum LANCISI, vitia, eorumque foeda ministeria in hominibus diu supervicturis tamquam Senectutis impedimenta praemoriantur, sponteque desinant nostrae voluptates, ne ante senium ipsi vivere desinamus (*b*)».

§. 155. Cum aliquid modo dicere expediat de aliis potionibus, quae temporum mos introduxit, affirmare primum possum in maritimis nedum abusum nullum ferme esse usum infusionis *Thè*, nec ZIMMERMANN contra hanc potionem tot verba emisisset, si ad nostrates debuisset loqui. Tutiori forsan consilio hac uterentur potione pro horribili illa, quam *Punch* appellant, cujus duo etiam vel tres cyathos laetanter sumere in die saepe vidi; quaeque, nimia *rum*is generositate ut plurimum parata, juvare simulat dum reapse nocet. Quod dicebam de *Thè*, dicatur item de cioccolacte, quo pauci utuntur, abutuntur paucissimi; laudabilis certe temperantia, in maritimis namque parum confert stomacho, etsi alibi optime illam ferat.

§. 156. Multi vero cum sint illis in locis, qui

(*a*) **Consilium LXXVIII. Tit. IV. lib. V.**
(*b*) **De adventitiis Romani caeli qualitatibus cap. XIX.**

aliam infusionem, quae *caffè* nomine venit, large epotant, nullus ferme qui in die illam non bibat, hanc praxim tamquam abusum excipere quis posset; nec negamus in ipsum aliquando migrare. Is interim sciat quod si vulgus *caffè* abuti vellet, non posset quidem: calidam namque potionem nigro-flavam quolibet mane bibit, quae *caffè* aliud non habet praeter species; dein agros, vel officinas petit, et per diem illam amplius quaerere non solet. Apud divites ergo tantum nimium usum aliquando irrepsisse constat. Omnia igitur quae sive in hanc potionem, sive contra illam a phanaticis dicta sunt praetermittens, quos in maritimis, et in me ipso expertus sum effectus certe considero, cum usum *caffè* non utilem tantum sed necessarium affirmo ad promovendas digestiones, tollendas cruditates, quae a somno adhuc restant in stomacho, praesertim cum summo mane surgere gracilibus etiam expediat; atque hujus potionis duas pateras in die generatim maritimorum incolis concedere possumus. Caeterum ultra hunc terminum nervorum summam mobilitatem; contractiones dolorosas in stomacho, et oesophago iis qui utantur experiri saepe contigit.

§. 157. Panis apud nos fundamentum est escae, et primus inter cibos, qui praeparatione indigeat, ideoque in eo conficiendo optimum primum seligere frumentum oportet; at cum non sit hujus libri methodum exponere, qua panem ex mala farina paratum meliorem reddere docuerunt Davy et Vogel additione carbonati potassae, so-

lum dicam quod illam methodum, qua in multis locis farina ex frumento paratur, minime tutam reputare possumus. Vannunt reapse, atque cribrant triticum; nonnulli a malis seminibus digito etiam secernunt: attamen non integra haec est praeparatio, neque perfecta; necesse est triticum lavare, ut alii multi populi faciunt, quidquid dicant nonnulli maritimi homines de minima adhaesione terrarum suarum ad granulos. Differentia panis ex abluto frumento confecti ab illoto sensibus cum appareat, pariter ac terrae existentia in aqua purgamenti, hujus praxis necessitas demonstratione non indiget.

§. 158. Magistratuum, et patruum familias vigilantia non minor esse debet ut panis bene fermentatus, apprime etiam coctus a pistoribus venundetur, et coëmatur; advenae enim omnes, qui per anni dimidium multi sunt in maritimis, confectum a mercatoribus emunt, et hoc utile commercium fraudem his persuasit saepe, et eidem dolo tanto facilius indulgent, quo pluris venundata fuit annona. Praxis talis non minus quam mala semina tritico permixta sanitati obest; etsi gens obtusi sensus non semper statim dignoscat unde veniant illa damna, quae ipsis paulatim obrepunt.

§. 159. Idem dicatur de fermentatione, et coctione panis ex farina hordei, et secalis hordeo pejoris parati; et quamvis utrumque hoc cereale antea admistum fuerit farro, gravissimum tamen erit ventri.

§. 160. Farina tritici, quae pomis terrae miscetur jucundiorem dat palato, et stomacho panem, recentem praecipue, quam si aliis misceatur seminibus. Ut praeparatio autem pomorum terrae optime fiat consulendae sunt disquisitiones PARMETIERI, et AMORETTI (*a*).

§. 161. Leguminum usum per quem flatulentiae multae exsurgunt, cuique ferendo ad usque perfectam coctionem stomachus multorum impar est, moderare maxime apud nostros agricolas oportet, qui aquas impuras vel domi, vel in arvis his superbibere saepissime necessitate coguntur. Ab his insuper ut omnino abstineant necesse est qui sedentariam vitam agunt, nec feriantur a studiis; vel si aliquando varietatis causa durum cibum gustare velint, superabundanti coctione parata sint legumina pellibusque exuta, ut inde minus inflativa, atque minus nociva evadant.

§. 162. Aratores vero, et quaelibet hujusmodi gens, quibus alimenta crassa, et foeculenta magis prodesse videntur, leguminibus carne permixtis uti fas sit: at non in sero, ut multi faciunt, sed potius per diem. Qui inter istos non habent tam valida viscera, et torpor inest eorum fibrae etiam sanitatis tempore, optimo uterentur consilio, si fabis, faseolis, pisis, lenticulis, aliisque leguminibus pulmenta zeae-mays anteponerent in plerisque saltem hebdomadae diebus, non desunt namque dies, quibus leguminibus deliciari debeant.

(*a*) Biblioteca di Campagna. Nov. 1804.

§. 163. Pulmentum certe zeae-mays jure carnium paratum, octo anni mensibus, post tritici farinam melius est tutiusque nutrimentum, quam omne aliud cereale. Puls quoque ex eadem farina magis quam legumina nutrit, et sanitati confert melius quam panis ex malis seminibus paratus (§. 159.). Curandum solum ut alba grani turcici species prae caeteris usurpetur, et ne amara facta sit farina, aut alvi excretiones vitiatae per illius esum non sint.

§. 164. Inter olera brassicam, cichorium, spinachium, betulas, et lactucas in escam diligere expedit; et bene coquere, carnibusque admiscere oportet. Brassicam lienosis convenire affirmavit *Castor* DURANTE (*a*); sed non omni genti optimus est cibus; et ex illa e contra lienis obstructiones gigni timebat FORRESTUS (*b*). Agrorum tamen cultoribus, praesertim hyemali tempore, utilis si bene parata, pipere, et allio condita, eo quod transpirationem et lotium abundanter promovere, et scorbuticam insuper diathesim arcere valeat. Aliis quoque vegetabilibus per aestivam saltem anni partem interdum, nec raro uti expedit, et carnibus in prandio, nunquam vero absque coctione, praeter cappares, qui aceto parantur, et lienosis valde utiles reperti fuerunt, admiscere optimum est consilium etiam per totum anni cursum.

§. 165. Carne porcina, apri, et interdum ca-

(*a*) Erbario.
(*b*) Loc. cit.

prilli ab autumno, et per hyemem maritimorum plerique recente utuntur; salsam vero ferme semper comedunt omnes pauperes. Oves etiam, et capreas ante aestatis finem, agrorum praesertim cultores, sibi in cibum abundanter multis in locis assumere solent. Quod quidem populi saluti maxime inimicum est; a magnis namque ingentibusque laboribus per talem cibum fractis viribus non consulitur; et quoad ovinam, et caprinam carnem considerandum est has praebere non solum malum nutrimentum sanis, sed illius venundationem obesse quoque interdum aegrotantibus, eo quod a dolopae fidei lanionibus sub specie vervicis quandoque venundantur. Carnes omnes fumo exsiccatae, praeter petasones, et alias suillorum partes, illis non meliores censendae sunt, et si absque vino mandantur ad obstructiones lienis, et scorbutum opportunitatem parare non immerito post longam observationem judicatur.

§. 166. Hinc bovinas carnes caeteris praestare patet; vitularum vero has inter optanda, quae melior, est et tutior vervice; non idem me dicere posse arbitror de carne vitulorum: dubitavi namque semper an reapse sit aliquis, qui hos perfecte sanos ad mactandum duxerit. Post vitularum carnem vervex tenet certe primum locum; et in maritimis tam bene pasti sunt agni, ut eorum caro aprilis, et maji mensibus a vervicibus non facile distinguatur, et par bonum dent nutrimentum.

§. 167. Quibus autem Juppiter dedit cicuratis uti volucribus hos supramemoratis carnibus (§. 149.) admiscere expedit in prandio: sylvestribus saepe etiam uti, nec praetermittere leporinam carnem juvenum praesertim animalium, quae, si urinam proritat, hepati, et spleni obesse non potest, ut aliqui sunt arbitrati. Ipsam immo in multis intestinalis tubi morbis utiliter exhibui saepe, velut in diarrhoea; non assam quidem, sed elixatam. Annuat coelum votis.

§. 168. Pisces multi, quibus vescuntur maritimi, recenter extracti bonum saepe praebent, et sanum alimentum; suntque solummodo inimici pauperibus, quia hi nec meliores emunt, neque recentiores, sive e lacubus, sive e mare proveniant; et cum crassioris sint substantiae scorbuto nimium favent. Idem de querquedulis, aliisque aquaticis avibus dicatur, quae illis generatim non sunt meliores, et stomacho graves: quid autem dicendum de salsis piscibus quibus vescuntur indigentes? Quid dicere possem facile divinat lector.

§. 169. Fructibus, qui in maritimis bene sapidi sunt, absque ullo periculo, servata temperantia, uti licet, dummodo styptici non sint, et acerbi; immo infirmis etiam aliquando modice concedendi, et solis malis igne coctis per nonnullos dies acuta splenitide laborantes enutrivi multo cum eorum commodo. Si quid vero onerosi, et flatulenti in fructibus est, ut ait Plinius, non id certe in omnibus; neque in genere modicus eorum

usus pertimescendus. Qui talem qualitatem habent, vel difficiles sunt digestioni sensuum, et experientiae auxilio satis dignoscuntur. Hos inter castaneae recensendae, praesertim in maritimis, quarum usus aeque ac leguminum nocere multorum stomacho observavi.

§. 170. Quantae autem sit utilitatis corporis exercitatio illis praesertim in locis, ubi inertia quaedam corpora aggreditur, perpendere dum volumus, ab aëris consideratione illam secernere non possumus, cum in ea suscipienda ad hujus conditiones respicere semper oporteat. Aër enim maritimarum regionum modo valde calidus est, modo frigidus; modo multum frigus ferme semper cum humiditate conjunctum corpus circumdat; et haec in corporis exercitatione maxime declinare interest. Effectus humiditatis aëris in maritimorum pulmonibus et pharinge sensibus statim apparet sive in viris sive in mulieribus claram, et sonoram vocem requiratur. Raucedines immo observantur in multis, tusses frequentes, et expuitio ferme diutina serosi humoris. Propter frigiditatem, et humiditatem aëris grassantur insuper saepe catarrhales febres, et exitiales peripneumoniae. Humiditas autem cum calore conjuncta carnes laxat, glandularum obstructionibus, et humorum dissolutioni favet: hinc alvi fluxus, et varii cacochymiae effectus saepe observantur; quos inter frequentiores sunt affectiones scrophulares, quibus praesertim obnoxii reperiuntur habitatores domorum, quae

ex topho vulcanico constructae et subsolanis ventis sunt objectae (*), et oppidorum quorum viae angustae, domus obscurae, malè tectae, et immundae: ita ut de multis etiamnum dici possit, quod alias TARGIONI de omnibus dixerat (**). Hinc ea tempestate qui domo prodire non cogitur, domi se custodiat, et humiditati prohibeat ingressum donec sol, aut boreas illam ex atmosphera dissipaverint, et ignem lignorum fasciculis etiam intra cubiculum saepe excitet (***). Foris bene se quisque custodiat.

§. 171. Omnes maritimorum incolae, sed illi

(*) Hujusmodi petrae structa fuerunt oppida plurima, et pagi aedificati tam in orientali inferiori Senarum provincia, quam in Romana eidem proxima.

(**) » Si può dire, senza offendere punto i paesani, che » i Maremmani non si sanno servire punto del denaro per » ottenere i veri, ed importanti commodi della vita, e col » non curare (certe delicatezze nell' abitare, e nel cibarsi » risentono un maggior nocumento dall'insalubrità dell'aria. » (*Viaggio di Gio. Targioni Tozzetti* a Monterotondo. » Viaggi T. VII.

(***) Minime vero igne carbonis, ut facit Israelitica gens, quae in maritimis tot haberet commoda supra colonos, unde bene, et diu viveret, et nihilominus pessumdat propriam salutem continua ustione carbonis, quidquid dixerint medici, dixerimque ipse septem et amplius annorum spatio. Et ut ista durae cervicis gens angustae domus aërem facilius inquinare possit illum non camino subpositum tenet, sed in medio cubiculi nocte dieque accensum servat. Hinc forsan rachitis omnibus penè Judeis communis, et fastidiosa illa, atque morosa morborum phalanx, qua Haebrei maritimorum vexati semper observantur.

praesertim qui coguntur foras prodire, et arva a domibus remota petere in propriam salutem maxime peccant cum solo ferme indusio tecti quibuslibet diei horis transeunt per loca frigida, nebulis gravata, ibidemque manent; et ni sorte consuetudo pellem eorum aëris vicissitudinibus interdum minus sensibilem reddidisset, citius quam usuvenit negligentiae hujus poenas luerent, ut contigit saepe advenis montanis, aliisque e superiori Italia venientibus, ni satis cauti fuerint.

§. 172. Vestes laneas, ipsaque indusia ex lana contexta habitantibus quibuscumque maritimorum, aliorumque humilium locorum, in quibus malesanum aërem esse patet, suadere nuperrime enisi sunt illi, qui paludosi miasmatis existentiam vel dubia mente receperunt, vel prorsus negaverunt (*a*). Nos experientia edocti refrigerationem corporis in maritimis esse reapse feracissimam morborum causam, tutioraque fuisse itinera calidis, et ferventibus horis suscepta, quam illa quae vespertinis, aut antelucanis horis fiunt; ab affectionibus catarrhalibus immunes fuisse nonnullos, qui indusiola gossypii per totum anni cursum super carnem portaverunt, corpus tegere semper commendamus, laneasque vestes, quae brachia, pectusque defendant quamlibet per anni partem ferre, praeterquam gravissimi laboris tempore,

(*a*) Dall'Armi. Osservazioni su l'aria cattiva. Campana. Febbri intermittenti attribuite all'aria cattiva. Vide in Diario Arcadico n.° xxi. et xxx.

cujuscumque generis hominibus necessarium dicimus: plus enim ferme nocet per autumnum, et aestatem corpus exponere matutino, aut vespertino frigori, quam imbribus in hyeme.

§. 173. Qui itaque deambulare, aut equitare volunt, vel coguntur, aut quocumque alio modo vires corporis extra domum exercere haec memoriae teneant; sed et ventos quoque considerent. Hi vero venti non pro natura sua similiter nocent; ita ut boreales bonos, austrinos malos undique pariter esse existimandum sit; sed quod ad nos afferant ex illa ragione, unde spirant considerandum est. Sic Crasseti pessimi experiuntur favonii, quia per paludosam vallem pertranseunt, qui salubres aliunde evadunt Castellioni in piscaria, et alibi. Subsolani venti inimicum adducunt hyemem Suanae, Petiliani, et status Romani finitimis regionibus, dum Orbitelli, cui inimicus est boreas aliisque locis sol splendet serenus.

§. 174. Ea itaque parte, ab illis quibus seligere licet, suscipiendum est iter, qua purior est aër; neque adversum fossas, et palustres aquas; sed sereno coelo, et nusquam sine sole, qui dum occidit si homines intra domesticos parietes invitat, maritimos jubet intrare; quodque faciendum etiam alia de causa si salutare quod dabo consilium (§. 177.) sequi placet. Juvat vero immo necessarium censeo quolibet mane antequam quisque domum egrediatur aliquid ingerere, neque ad id purum *caffè* potum omnibus sufficere arbitror; sed vel cum vitello ovi, vel modica cum

panis dosi sumere expedit; dummodo a minime parca, vel serotina coena stomachus praegravatus non fuerit. Humilium, humidarumqne vallium habitatoribus id convenire cognovit etiam LIND(*a*); et ex neglectu, vel oblivione hujus consilii non prompta, quidem, sed certa experiuntur damna.

§. 175 Sommo nullibi magis interest moderate indulgere quam in maritimis. Somnus membra restaurat diurno attrita labore; functiones vitales validiores reddit, quae perfectius exercentur per illum. Si nimius vero fuerit fibram ad motum reddit ineptam, neque post illum alacrior est animus; mens immo cum memoria hebescit; languet sanguinis circulatio in vasis a corde remotioribus (*b*), et ideo in systemate quoque vasorum lienis; et fibrae universalis laxitas inde oboritur.

§. 176. Cubiculum vero ante solis occasum claudere expedit, et non amplius inde aperire, nisi circa tertiam noctis horam, dummodo siccus sit aër, et iterum diligenter claudere, ne matutinis horis corpus frigescat. Cubile, quod neque prope externas domi parietes, neque adversum malos ventos esse debet, igne lignorum ab ingressu solis in scorpione usque ad ejus egressum ab ariete, et ultra calefacere necesse est propter humiditatem, sed non statim intrare. Absque stragulis vero neque in ferventi aestate jacere convenit.

(*a*) Traitè des maladies des Europees dans les climats chaudes ec.

(*b*) BOERHAAVE. Instit. rei medicae.

§. 177. Somni interim durationem universis maritimorum habitantibus aequaliter indicare facile non est. Novem horas praescribit Galenus (*a*); septem adamare videtur Sanctorius (*b*); quae ni forte sint in aliquibus adhuc nimiae sufficient certe omnibus, quoad reor, in aestate. Novem vero somni horae concedendae mihi videntur gracilioribus saltem per hyemem, quo tempore utilior somnus, quam in aestate. Tempus vero somni incipit ab hora decima pomeridiana, tertia nempe a vespertino jentaculo, quo uti pro coena, praesertim aestivo tempore, valde utile omnes experiuntur quibus persuasi. Supra dexterum autem latus in lecto cubare expedit ut facilius peragatur sanguinis circulatio in liene, et ideo ad removendam illius pathologicam conditionem.

§. 178. Caeterum non excedentis somni haec erant in primis signa: mentis integritas, atque alacritas; nulla lassitudinis sensatio, et plus solito motus corporis promptiores; nullusque in ore sapor. At si per somnum malè facta fuerit ingestorum concoctio, vel aura nocturna, quae in maritimis frigidior, et humidior quam in aliis locis esse solet, perspirationem cohibendo corpus offendere potuerit, id cognoscere licebit a capitis gravedine, oris amaritudine, brachiis dolentibus, et ab universo corpore praeter morem delapso.

§. 179. Meridianum somnum fugere tamquam

(*a*) De sanitate tuenda.
(*b*) Statistica medica Sect. IV.

nocivum salernitana schola docuit; nec immerito, quidquid Plateri exemplum valeat (*a*): idque probe noscunt multi incolae; advenae vero credere nolunt. Sed a somno meridiano qui se abstinebant melius quam qui dormiunt se habere in maritimis semper vidi. Per ipsum vero illi experiuntur, et ego ipse expertus sum capitis gravedines, et in aestate sudores: hinc recte Sanctorius » somnus meridianus insolitus viscera omnia laedit, hebetatque perspirationem (*b*) » quod de insolito dixit dicatur item da inopportuno. Nonnullis tamen cubilis pomeridianae requiei assuetis hominibus praestare potest interdum quadrantem, vel ad summum dimidium horae somno dare (intra domum, nusquam vero sub dio, ut agricolae faciunt) dummodo ad labores alacriter redire possint, nec incommoda supra notata inde experiantur. Quare omni diligentia fugienda sunt quae somnum fovent, et adaugent, qualia sunt nimia ciborum ingestio, difficillimae digestionis cibi, aromata, vinorum ingurgitatio, omnes potus spiritibus abundantes, et otii affluentia.

§. 180. Humorum circuitum lentum perinde ac fibram lassam, stomachum infirmum, nutritionemque ideo ab assumpto cibo mancam facit etiam frequens venus, quae si in maritimis ritus

(*a*) Vide apud Haller. Comm. in Inst. rei medicae Boerhaavii.

(*b*) Sect. III. Aph. 166.

sui cultores nimium devotos obtineat, maturam senectutem robustioribus, brevem vitam gracillimis viris in praemium concedere solet, etiam si propitio oculo, quod quidem rarum, illos semper aspexerit. Vulgivaga autem venus si ubique maxime pertimescenda est (*a*); erit omnino fugienda in calidis terrae plagis, et ubi immunditia late diffusa apparet.

§. 181. Antequam huic de sanitate in maritimis tuenda specimini finem ponam de nicotianae, seu tabaci usu aliquid dicendum. Quamvis enim videatur id multum abesse ab operis subjecto abs re tamen non erit cum systemata nostri corporis ita inter se conjuncta sint, atque ligata ut inde nemini dubitandum sit ex coryzae, et catarrhi praesentia humores etiam in visceribus imi ventris redundare, aut alio modo male affici; quod quidem ex inappetentia catarrhi tempore colligitur. Nicotiana igitur vel fumo deglutita, vel pulvere naribus excepta fuerit perutilem contra rheuma, et qualemcumque humorum congestionem arbitror. Calidum inspirare ad depellendum catarrhum praedictus codex ordinat (*b*); quid melius nicotianae fumo, ex cujus deglutitione cum saliva venter etiam modice solvitur. J. Lind usum hunc commendavit omnibus Europae populis quibus aërem humidum respirare necesse est (*c*).

(*a*) Vide rationes, si adhuc ignoras, apud Hufeland. *Arte di prolungare la vita umana*. T. II. Cap. II. §. IV.
(*b*) Salernitanus. cap. 32.
(*c*) Loco cit.

At cum nonnullis, nocere possit interdum nicotianae fumus, pro illa humiditatis tempore, anethi seminibus, vel cinnamomi corticulis uti fas erit; fumum namque tabaci non ideo confert, ut aliquis dixit, impedimentu afferendo aëris malignitati, sed potius aëris humiditatem depellendo, et pulmonalem promovendo transpirationem.

§. 182. Capitis autem gravedines tollit persaepe, et omnino aliquando tollit nicotiana pulvis; muccosae materiae narium insensibilem descensum ad pulmones admovet, statuitque emunctorium, ac constituit, ut ita dicam, locum quo se ferat superabundans humor per impeditam perspirationem retentus. Sed de abusu, vel noxiis ex tabaci usu nil dicendum? Utique: in maritibuis abusus ex inopportunitate non existit, cum usus necessarius demonstratus fuerit, et ex quantitate abutantur, mea sententia, illi solummodo, qui sicco adveniente aëre adhuc fumo excipiunt; nimis expuunt, quod quidem nocet si de gracillimis praesertim hominibus sermo fuerit, cum ii minus quam caeteri tabaci fumo uti deberent; et ii pariter, qui moris gratia, non justa necessitatem, tam foliis, quam pulvere utuntur. De noxiis vero ex usu etiam moderato nicotinae pulveris aliquid reapse dicendum, non consonum tamen illis quae *J. Enr.* Cohausen dixit (*a*), aut ab aliis ad judicandum minus idoneis dicta fuere. Usus forsan

(*b*) De pica nasi, sive tabaci sternutatorii moderno abusu et noxa.

major tunc temporis, et magis estensus erat: nam cuilibet tabacum colere, et parere licebat. At quae modo dicere possem omnes bene noscunt, ne repetere ipse debeam.

§. 183. Ex hac interim prophylactica methodo, et ex iis quae in historiis, et curationibus morborum lienis passim exposuimus, quaenam diaeta aegrotis conveniat dignoscere licet. Hinc propter molestam sitim, aquae purissimae (§. 143.) Cibus facillimae digestionis semper esse debet. In acuta splenitide ex vegetabilibus saepius, quam ex animalibus depromptus; parce etiam sumptus ob dyspepsiam: in vetustis autem chronicisque lienis affectionibus magis nutrienti alimento uti convenit exigua semper dosi, sed potius repetitis vicibus. Eodem tempore, et cum apirecticus fuerit aegrotus vino modico, et levissimo (§. 150.) uti fas erit. Si omnibus tandem hominibus quae de potu, cibis, corporis cultu, motu, somno, venere, aliisque vitae propriis expedit in maritimis ad praecavendos morbos observare, chronicis affectionibus laborantibus maxime necessarium est.

CONCLUSIONES.

§. 184. Ex historiis igitur morborum lienis, quamvis inconcinne nimium forsan, quam res ferre potuerat, expositis, et ex illorum repetita observatione, atque consideratione illis in locis in quibus opportunitas, tempusque videndi non defuit, nonnulla colligere datur, quae tamquam corollaria referre, et axiomata etiam statuere possumus.

I.

§. 185. Dari reapse lienis inflammationes, et istas esse non solum unius membranae sed etiam totius visceris substantiae proprias. Erythemata, vel erysipelas ad extimam; phlegmones ad intimam visceris partem pertinere.

II.

§. 186. Splenitidem frequentius chronicam, quam acutam esse: hanc constantiorem servare formam; illam minus aequabilem servare cursum: unam in alteram saepe commutari. Utramque endemicam esse maritimarum, et humilium regionum, ac praesertim ubi insalubres sunt aquae, quibus habitatores potantur, potiusquam aliorum locorum.

III.

§. 187. Dyspepsiam, inestinguibilem sitim cum lienis tumore, atque dolore, jacendique in alterutro latere difficultate pathognomonica, et propria signa esse splenitidis; nec alia communia inflammationum phaenomena, in acuta praesertim deesse.

IV.

§. 188. Sinistri cruris, pedisve dolorem, vomitum subcruentum, atque lipothymiam non esse splenitidis propria; sed gravissimis tantum inesse posse lienis inflammationibus; coexistente nempe phlogistica affectione vicinarum partium.

V.

§. 189. Febrem continuae remittentis typo propriam esse splenitidis acutae, sive solus lien inflammatione affectus fuerit, sive alius visceris phlegmasiae splenitis se adjunxerit, aut conjunctim appareat. Chronicam comitari saepe catarrhales, aut gastricas intermittentes, sive remittentes febres. Has praecedere aliquando lienis affectionem, et hanc durare interdum post illarum cessationem sub obstructionis specie. Febres autem post curationem lienis non amplius aegrotos vexare.

VI.

§. 190. Conditionem pathologicam lieni inesse posse absque eo quod splenitis necessario oriatur, dummodo per aliquam occasionalem causam non excitetur; et postquam inflammatio cessaverit ipsam pathologicam conditionem remanere posse in viscere, ut inde, nova data occasione, splenitis rursus appareat, vel etiam quae chronica facta fuerat affectio, per additum stimulum evadat acuta.

VII.

§. 191. Finem acutae splenitidis esse inflammationis resolutionem, aut chronicam affectionem; interdum abscessum, acutum abdominis hydropem: cancraenam, et mortem, quamvis raro, ni aliae simul existant vicinarum partium gravissimae affectiones.

VIII.

§. 192. Chronicae splenitidis finem esse visceris duritiem, persaepe absque scirrho, abscessum, cancraenam, phthisim splenicam, ascitem, phthisim spleno-pulmonalem, scorbutum, atque marasmum.

IX.

§. 193. Degenerationes membranae lienis, ejusque adhaerentias vicinis partibus acutam pariter, ac chronicam splenitidem sequi. Degenerationes vero substantiae parenchymatosae lienis, quae sub scirrhi nomine veniunt, quam raras esse, nec nisi longo temporis spatio fieri: partemque aliquam potius quam totum viscus afficere, et a peripheria generatim incipere,

X.

§. 194. Lienis obstructionem, sive visceris duritiem, quo inveterata, atque neglecta fuerit, eo facilius corporis, mentisque hebetudinem, et melancholicas etiam inde affectiones inducere: cloroticas reddere foeminas; lenes juvenes: ac producere tandem ulcera in pedibus, scorbutum, et alios supra notatos morbos.

XI.

§. 195. Duritiem hujus visceris quamvis inveteratam solvi tamen posse, et cum illa scorbutum saepe, et interdum quoque physconias propulsari; ascitem per inveterataem obstructionem lienis obortam, vel cum vasorum lymphaticorum, et glandularum mala affectione conjunctam raro curationem admittere: phthisim lienosorum cum

ad tertium statum pervenerit morbum principalem constituere, cujus curatio non amplius ut plurimum expectanda.

XII.

§. 196. Abscessus lienis, quo major fuerit materiei collectio, et retardata raptura, valde periculosos esse qualibet in parte rumpantur; et eo magis splenicam tabem: cancraenam vero lienis difficilem esse cognitu, et absque remedio.

XIII.

§. 197. Resolutiones splenitidis, quas natura molitur, per epistaxim, per urinas multa cum subsidentia, vel terrea depositione (praesertim si de chronicis, et inveteratis agitur) per lochiorum fluxum, aut haemorrhoidalem stillicidium tutiores esse; per vomitum, ventrisque dejectiones non semper perfecisse; per aliquod exanthema, aut sudores parare non absolvere.

XIV.

§. 198. Acutam splenitidem moderata vasorum depletione curandam esse: sed cum persaepe aliorum viscerum phlegmasiis consocietur, si harum adsint certa signa larga, et repetetita sanguinis emissione eidem mederi opus fuisse, et alia juxta concomitantias remedia adhibenda.

XV.

§. 199. Non eadem semper methodo, etsi constantia maxima in medendo opus sit, sed varia pro febris indole, diathesis natura, atque gradibus; aliisque aegrotantium, locorumque conditionibus; nec non pro praesentis morbi statu, concomitantiis, ejusque progressibus chronicae splenitidis curationes suscipieudas esse, atque perficiendas.

XVI.

§. 200. Causas conditionis pathologicae lienis proximas, et occasionales splenitidis maxima ex parte manifestas esse; ideoque illas removere homines posse, aut propulsare.

Affectiones itaque lienis, iterum dicam, nec tam frequentes forent, nec vernaculi morbi nomine appellarentur, immerito namque ab aëre, tamquam a necessaria causa sunt expetitae, si adventitias omnes propulsare causas homines curavissent. Sic in maritimis quoque regionibus, etsi ab adventitiis simul, et ingenitis causis morbi nonnulli penderent, quod negare in animo certe non fuit, firma salubritate fruentur si omnem a se immunditiam, victus, morumque intemperantiam depellant, et sedulis magistratuum curis ad publicae incolumitatis custodiam foederatis adventitiis morborum causis occurratur.

Interest certe maxime nos aliosque homines ab illis praesertim immunes reddere morbis, quibus magis obnoxios esse contigit » nonnullarum » enim regionum populi afficiuntur morbis qui» busdam peculiaribus, qui aliquarum regionum » populares aut raro, aut nunquam invadunt. »

FINIS.

INDEX

INTRODUCTIO. Pag. VII

Ad acutae, et chronicae splenitidis in humilibus praesertim Italiae locis consideratae, eidemque succedentium morborum historias animadversiones 1

§. 1. *Operis objectum.* ibi

ARTICULUS I.

SIMPLICIS SPLENITIDIS HISTORIAE.

§. 5. *Historia I.* 3

§. 6. *Historia II.* 5

§. 7. *Historia III.* 7

MANTISSA.

§. 8. *De splenitidis forma.* 10

§. 9. *De vomitu cruento, sinistri cruris dolore, et lipothymia in splenitide.* 11

§. 11. *De phlebotomia in splenitidis curatione.* 13

§. 12. *De purgantibus.* 14

§. 13. *De splenitidis resolutione, et crisi.* 15

ARTICULUS II.

SPLENITIDIS CUM PROXIMORUM VISCERUM PHLEGMASIA HISTORIAE.

§. 15. *Historia IV.* 16

§. 16 . . . . *Casus alius in nota.* 21

§. 17. *Historia V.* 23

§. 18. *Historia VI.* 26
§. 19. . . . . *Cadaveris autopsia.* 27

Mantissa.

§. 21. *De inflammationibus membranae, et parenchymatis Lienis.* 31
§. 22. *De erysipela, vel erythemate Lienis.* 32
§. 23. *De Lienis phlegmone.* 33
§. 24. *Symptomata splenitidis propria.* 34
§. 26. *De phlegmasiis, quae splenitidi comites ire solent, quarum symptomata cum illis splenitidis non confundenda.* 35
§. 28. *Naturae molimina ad hunc propulsandum morbum.* 36

ARTICULUS III.

Chronicae splenitidis historiae.

§. 30. *Historia VII.* 37
§. 31. *Historia VIII.* 40

A chronica splenitide pervicacissimae lienis obstructionis casus alii.

§. 32. *Casus I.* 42
§. 33. *Casus II.* 43
§. 34. *Casus III.* 44
§. 35. *Casus IV.* 45

Mantissa.

§. 36. *De pathologica Lienis conditione.* 47
§. 37. *Pathologicae conditionis primordia.* 48
§. 39. *De Lienis duritie.* 50
§. 41. *De Lienis scirrho.* 51
§. 43. *Methodus curativa ad obstructiones tollendas.* 52
§. 44. . . . *praesente febri* 53
§. 45. . . . *abeunte sthenica diathesi.* 54

§. 46. *De usu calybis.* ibi.
§. 47. *De malagmatis.* 56
§. 48. *De aëre immutando, et aquarum mineralium usu.* 57
§. 49. *De aquis mineralibus artefactis.* 58
§. 50. *De curatione obstructi lienis percussionibus bipennulae; candenti ferro; moxa; cauterio, et setone.* 59
§. 51. *De curationibus inveteratae lienis obstructionis methodo* Doct. *Vetere suscipiendis, atque susceptis.* 60
Curatio I. 62
Curatio II. 64
Curatio III. 66
§. 52. *De vario splenitidis fine, et effectibus.* 68

ARTICULUS IV.

SPLENITIDIS CUM RUPTURA ABSCESSUS IN VENTRIS CAVITATE HISTORIAE.

§. 53. *Historia IX.* 68
§. 54. *Historia X.* 71
§. 55. . . . . *Cadaveris autopsia.* 73
Abscessus splenis, ejusdemque rupturae in abdominis cavo.
§. 56. *Casus alius.* 75
Abscessus splenis et effusionis materiae in intestino colon
§. 57. *Casus.* 76

Mantissa.

§. 58. *Cronicae splenitidis genesis, et phases.* 77
§. 60. *De splenitide, quam symptomaticam dicunt.* 79

§. 61. *Splenalgiae nomine quid intelligendum.* ibi

. . . . *Casus.* 80

§. 62. *Acutam inter, et chronicam splenitidem discrimina.* ibi

§. 63. *De abscessus formatione in Liene, ac totius parenchymatis corruptione.* 81

§. 64. *An facilis Lienis suppuratio.* 82

§. 65. *Signa formati abscessus in Liene post acutam vel chronicam splenitidem.* 83

§. 67. *De humani corporis conditionibus ne abscessus ruptura in ventris cavo lethalis evadat.* 84

§. 68. *De ruptura abscessus intra stomachum.* 85

§. 69. *De fluxu splenico, ejusque fine.* ibi

§. 70. *De effusione materiae abscessus intra thoracis cavitatem, seu de tabe splenica.* 86

ARTICULUS V.

SPLENITIDIS CUM RUPTURA ABSCESSUS ABDOMEN FORAS.

§. 71. *Historia XI.* 86

MANTISSA.

§. 72. *An sanies reapse ex suppurato Liene manaverit.* 88

§. 74. *An in hujusmodi casibus aperiendus abscessus.* 89

§. 75. *Quomodo educenda sanies.* 90

§. 76. *Qualis curatio suscipienda post suppurationem.* 91

§. 78. . . . . *contra tumoris reliquias.* ibi

ARTICULUS VI.

SPLENITIDIS CUM LIENIS GANGRAENA HISTORIAE.

§. 79. *Historia XII.* 92

§. 80. . . . . *cadaveris autopsia.* 94

§. 81. Casus alius cum cadaveris autopsia. 95
§. 82. *Historia XIII.* ibi
§. 83. . . . . *cadaveris autopsia.* 96

Mantissa.

§. 84. *An a recenti vel antecedenti, ab acuta, vel chronica splenitide hisce in casibus praeparata fuerit Lienis gangraena.* 98
§ 86. *De parenchymatis teneritudine, sive gangraenae exordio.* 99
§. 87. *Quibus signis Lienis gangrenam suspicare liceat.* ibi
§. 89. *An febris nostris in aegrotis ab externo miasmate, vel potius a miasmate in corpore generato excitata fuerit.* 100
§. 90. *An coma, et apoplexia in secundo aegroto observata repetenda sit a Lienis affectione.* 102
§. 91. *Medendi methodus.* 103

ARTICULUS VII.

A SPENITIDE CLOROSIS, ET ASCITIS HISTORIAE.

§. 92. *Historia XIV.* 103
§. 93. . . . . *cadaveris autopsia.* 105
§. 94. *Historia XV.* 107
§. 95. . . . . *cadaveris autopsia.* 108
§. 96. *Historia XVI.* 109
§. 97. . . . . *cadaveris autopsia.* 114

Mantissa.

§. 98. *Quomodo splenitidi clorosis succedat, et quae lienosis prosunt cloroticis pariter conferant.* 116
§. 99. Casus alius *clorosis, et ascitis cum ingenti lienis obstructione et exomphalo, ejusdemque curatio.* 117

§. 100. *Pathematis deprimentis effectus in supra memoratis aegrotis.* 117
§. 101. *An a chronica splenitide prima laticis exsudatio in ventris cavitate.* 118
§. 102. *De vasorum lymphaticorum hisce in casibus pathologica conditione.* 119
§. 104. *Curationis methodus.* 120
§. 105. *Chronicae splenitidis aliae phases, et effectus alii.* 121

ARTICULUS VIII.

A SPLENITIDE, ET SPLENIS OBSTRUCTIONE PHTHISIS PULMONALIS.

§. 106. *Historia XVII.* 122

Mantissa.

§. 107. *Periculi quibus premuntur lienosi.* 124
§. 108. *Obstructi lienis damna alii dum superveniunt morbi maxime produnt.* ibi
§. 109. *An phthisis de qua supra illi a* Wilson Philipp *descriptae respondeat.* 125
§. 110. *Opportunitas ad hanc phthisim a vitio digestionis in examen revocatur.* ibi
§. 111. *An causae hujusmodi vitii digestionis in maritimis Italiae locis respondeant illis existentibus in Angliae, et Belgii litoribus.* 126
§. 112. *De aquis palustribus, et lutosis utriusque regionis, earumque in liene effectibus.* 127
§. 113. *Quo haec phthisis distinguenda nomine.* 128
§. 114. *A prima causa spleno-pneumatica dicenda videtur, neque cum splenica tabe confundenda.* 129
§. 115. *Methodus curativa primi stadii.* 130
§. 116. . . . . *cum phthisis splenopulmonalis splenis abscessui conjuncta reperitur.* 131
§. 117. . . . . *secundi vel tertii stadii.* ibi

ARTICULUS IX.

A SPLENITIDE, ET SPLENIS OBSTRUCTIONE SCORBUTUS.

§. 118. *Historia XVIII.* 132
§. 119. *Historia XIX.* 136

MANTISSA.

§. 120. *Qua de causa desiderentur historiae hujusmodi scorbuti cum cadaverum autopsia.* 139
§. 121. *An reapse scorbutus maritimorum a splenis obstructione.* ibi
§. 123. *Methodus curativa.* 141

ARTICULUS X.

POST CHRONICAM SPLENITIDEM, ET INVETERATAM LIENIS OBSTRUCTIONEM, REPENTINA RESOLUTIO OBSTRUCTIONIS, ET FEBRIS GANGRAENOSA.

§. 124. *Historia XX.* 143
§. 125. . . . . *cadaveris autopsia.* 145

MANTISSA.

§. 126. *De opportunitate ad hanc febrim.* 148
§. 127. *Unde praedispositionis, et causae proximae primordia.* 148
§. 129. *De hujus repentinae resolutionis jamdiu obstructi Lienis causa.* 150
§. 130. *De methodo curativa hujusce febris.* ibi

ARTICULUS XI.

SPLENITIDIS CAUSAE.

§. 132. *Cujus anni praesertim partis, aëris constitutionis, hominisque aetatis acuta, chro-*

nicave splenitis, eidemque succedentes morbi sint. 152
§. 133. De causu proxima. 153
§. 134. De causis occasionalibus. ibi
§. 135. Frigida, et humida aëris constituto. — Corporis sub pluvia refrigeratio. — Visceris violentae commotiones. — Errata in esca vel in potu. ibi
§. 136. Alicujus humoris, vel exanthematis retropulsio. — Nonnulla animi pathemata, mentisque labores. 154
§. 137. Frigus febrile intermittentium febrium, et calor qui febris frigori supervenit. ibi
§. 139. Intempestivus vel excedens corticis peruani usus. 155
§. 140. Phlegmasia vicinarum partium. 157
§. 141. Circa praejudicium loci insalubritatis nonnulla. ibi

ARTICULUS XII.

METHODUS PROPHYLACTICA.

§. 142. Qui, et quomodo a pathologica lienis conditione in maritimis, et humilibus Italiae locis immunes evadant. 158
§. 143. De aquis camporum, viventibus, et puteorum. ibi
§. 164. De aquarum potabilium purgatione, et purgationis methodo. 160
§. 146. De siti aliquando ferenda. 161
§. 147. Quibus modis intolerabili siti consulere expediat. 162
§. 148. De vini usu, et utilitate. 163
§. 151. Quo vino nostratibus uti magis conferat. 164
§. 152. De cerevisia, ejusdemque utilitate ubi vina desunt populo. 165

§. 153. *De vini, liquorumque spiritu redundantium abusu maritimorum saluti maxime inimico.* ibi
§. 155. *De aliis potionibus cognitis sub nomine* Thè, punch, cioccolactis, *et* caffè. 167
§. 157. *De frumento, ejusdemque praeparatione in conficiendo pane.* 168
§. 158. *De panis fermentatione.* 169
§. 159. *De hordeo, secala, et terrae pomis.* ibi
§. 161. *De leguminibus.* 170
§. 162. *De grano turcico, seu zea-mays.* ibi
§. 164. *De oleribus.* 171
§. 165. *De carnibus.* 172
§. 168. *De piscibus.* 173
§. 169. *De fructibus.* ibi
§. 170. *De aëre, deque corporis exercitatione.* 174
§. 172. *De vestibus, et cultu corporis.* 176
§. 175. *De somno; somni tempore, et duratione; deque cubiculi, cubilisque cura.* - 178
§. 180. *De venere.* 180
§. 181. *De nicotianae, seu tabacchi usu.* 181
§. 183. *De diaeta splenitidis tempore.* 183
Conclusiones. 184

Pag.	linea.	ERRATA	CORRIGE
VII	18	Hyppocrate	Hippocrate, *et sic ubi Hip. pro* Hippocrat.
14	4	altera	altero
43	29	§. 31.	§. 33.
44	16	§. 32.	§. 34.
45	18	§. 32.	§. 35.
51	31	medios	medicos
57	14	(e) FRANCESCHI Igea dei bagni.	et FRANCESCHI Igea dei bagni. *ed aggiungi* (e) SANTI analisi dell'acqua di Pisa cap. 14.
76	21	quotidiane	quotidianae
106	22	jecure	jecur
ivi	25	figurrm	figuram
107	26	1818	1817
108	16	undequoque	undequaque
112	18	batur: aqua	batur aqua
126	17	curvauram	curvaturam
166	4	ter	iter
173	10	Annuat coelum votis	Jure juscula conficienda.
182	5	impedimentu	impedimentum
ivi	15	maritibuis	maritimis

280